34.4.I.22.
3
f6

Pomi Palæſtini

EVAPORATIO

Hoc eſt,

ENODATIO

Reſponſorum & Reſcriptorum in cauſâ Palatinâ nuper datorum.

Cum annexâ
Brevi

DEMONSTRATIONE

nullitatum, quibus clandeſtinæ de tranſlatione Electoralis Palatinæ dignitatis & ditionum in Bavaricam gentem diſpoſitiones, laborare oſtenduntur.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

LONDINI

Typis *A. G.* Cum autoritate & permiſſu publico; Sumptibus *I. N.* & *R. W.* Proſtant ad Inſignia Regia in Cœmeterio D. *Pauli.*

Anno M.DC.XXXVII.

3

Digitized by Google

Ex Plinio, Solino, Tacito & aliis.

In Palæſtinâ apud lacum Aſphaltiten, ſeu mare mortuum, quod halitu ſuo terram inficit, corrumpitque ſuperfuſum ſpiritum, eóque fœtus ſegetum & autumni putreſcunt, ſolo cœlóque juxtà gravi; poma naſcuntur quæ adſpectu pulchra & ſpecioſa ſunt: ſed quando contrectantur & aperiuntur, tum evaporant, & in fumum abeunt.

Plato apud Stobæum
Serm. 10.

Summa injuſtitia, juſtum velle videri ſi ſis injuſtus.

Digitized by Google

SERENISSIMO
&
CELSISSIMO
PRINCIPI
Carolo Ludovico,

Comiti Palatino ad Rhenum, Sacri Romani Imperii Electori, Archidapiſero, & Vicario, Duci Bavariæ, &c.

INter cæteras cauſas, SERENISSIME PRINCEPS, quæ me moverunt, ut hunc Libellum conſcriberem & evulgarem, illa præcipua & palmaria eſt, quod volebam Orbi terrarum, & iis,

qui vel ex ignoratione, vel ex affectu de rei veritate non bene judicarent, oſtendere & ante oculos adducere, quòd neque penes Auguſtiſsimum Regem CAROLUM, Tuum Avunculum, neque penes Te ſteterit, quò minùs ſolemnis illa Legatio, quâ incomparabilis Heros THOMAS HOUARDUS, *Comes Arundeliæ & Surriæ*, nuper in Germaniâ, pro reſtitutione Pacis & Palatinatûs pari operâ procuranda defunctus eſt, felicem habuerit ſucceſſum: Sed penes eos, qui nihil moderati, nihil æqui à ſe, per honeſtas conditiones & poſtulata, impetrari paſsi ſunt. Ex Tuâ parte omnium, quorum intereat, animi ad quaſvis tolerabiles pactiones ſubeundas, parati & prompti erant: Sed ex ad-

versâ

verſâ, ea, quæ neque cum Honore & ſecuritate, neq; cum Conſcientiâ & Reipublicæ utilitate, vel concedi, vel remitti poterant, præſcribebantur & exigebantur; ſicut id ex actis evidens eſt, & nos in hâc ſcriptiunculâ deduximus.

Quod mei muneris eâ in re fuit, ſpero me haud indiligenter exſecutum eſſe; calamo nimirum & ſtylo, atque oratione, pro modulo virium noſtrarum, juſtitiam cauſæ Tuæ, Tuámque innocentiam aſſerimus & defendimus, quantáq; Tibi & Tuis injuria fiat, repræſentamus: Tui nunc eſt, ut, poſtquam omnia φιλοπρεπῶς tentaveris, & Tui ſancti conatus fruſtra fuerint, tandem ea remedia, & inſtrumenta circumſpicias &

amplectaris, per quæ conſequi & extorquere poſſis, ab injuſtis poſſeſſoribus & uſurpatoribus, per juſta arma, quæ illi per injuſta Tibi ademerunt.

Ne Te verò deterreat, aut cunctantem & ſuſpenſum reddat, vel adverſariorum potentia & fortuna, vel Propriarum virium diffidentia, vel quòd arma Regi FRIDERICO Patri Tuo, & Sociis ſæpiùs parùm auſpicatò ſucceſſerint.

Virgilius. *Tu ne cede malis, ſed contrà audentior ito.*

Quò altiùs aſcendit adverſariorum Tuorum felicitas, eò inſtabiliori ſtat loco; ad cacumen pervenit, nutat jam cum ramis mox caſura, aliquo impetu Boreæ, vel Auſtri concuſſa: magno momen-

to obruuntur, & dubia violentæ & ingratæ Domûs Fortuna, circumacta eſt. Non retinebit diu, quæ per vim, injuriam & fraudem Tibi præripuit.

Quem dies vidit veniens ſuperbum
Hunc dies vidit fugiens jacentem. Seneca Tragic.

Macte igitur, *Sereniſsime Princeps*, aude, confide, annitere; habebunt ventos & Deos Tua vela ſecundos. Mediocris potentia, conſilio & fortitudine rectâ, ingentes ſæpè vires edomuit. Quoties parvæ copiæ audendo, καὶ ἐν τῷ καταθαῤῥεῖν τῶν πολεμίων, prævalidos exercitus delerunt?

A cane non magno ſæpè tenetur Aper. Ovidius.

A minimis animalculis, maximis feris periculum & caſus paratus

 eſt.

eſt. Causâ vales, valebis etiam cauſam tuentibus armis. Pœna injuſtitiæ & crudelitatis, hoſtes tuos inſequitur: inſta, preme, ſi terra aditum ad eos negat, Oceanus viam patefaciat; divertendo & præveniendo, inquiebat magnus ille Rex, bella ſuperantur. Primi ejus apparatus in arduo ſunt; ingreſſo, aderunt ſtudia, miniſtri, ſocii & milites. Modica manus, ſub forti & audente Duce, ad juſtum exercitum excreſcet. Occaſiones & momenta temporum, rerum & hominum, quæ ſe offerunt, obſerva, ad conſilium flecte; cuicunque amicorum belligerantium Te adjungere volueris, gratus accedes Socius, ſociáſque ab eo recipies vires. Experientia plurimarum ætatum & Annales

naleſ atteſtantur, omnia fermè bella ab initio contra eos, quibus victoria de jure debebatur, fuiſſe: ad extremum tamen, meliorem cauſam perviciſſe & triumphaſſe. Habet Fortuna regreſſum; hæc diu adverſariis tuis favit, & Te deſtituit: jam orbis rerum adeſt, ut illos relinquat, & ad Te reſpiciat. Sed quò abripior, hæc non ſunt hujus loci & temporis. Cæterum Te, SERENISSIME PRINCEPS, Cœleſte *Numen* florentem & incolumem præſtet & tueatur, Tuáq; conſilia & auſus pro voto ſecundet. Dabam apud Ubios, Nonis Martii, CIƆ IƆC XXXVII.

Volradus à Frubach.

Digitized by Google

[illegible], omnia [illegible]
[illegible]
[illegible] ad [illegible] illis
ad extremum [illegible], melio-
[illegible]
[illegible]
dis adverſariis tuis ſævit, & Te
[illegible]
ut illos fulminet, & ad Te reſpi-
ciat. Sed quo ſcribo, hæc [illegible]
ſunt [illegible] & [illegible]. C[illegible]
terum Te, SERENISSIME PRIN-
CEPS, Cœleſte Numen florentem
& incolumem [illegible] & tueatur,
[illegible] conſiliis & auſis pro voto
ſecundet. Dabam apud Ul[illegible]
[illegible] Martij, [illegible]

[illegible]

Digitized by Google

Benevolo Lectori, S.

QVemadmodum is, qui procul & è longinquo æs orichalcum, vel ſtannum adſpicit, hoc ab argento, illud ab auro haud facilè dignoſcit, niſi propiùs admotus; Et ſicut homini, oculos glaucomate offuſcato, aut perſpiciliis naſo ſuſpenſis utenti, res inſpecta vel minor, vel major, quàm reverà eſt, apparet: Ita plerunq; illi, qui præconceptâ opinione & affectu occupati, vel ignoratione aut falsâ perſuaſione abducti, vel perturbatione incitati, defunctoriè res examinant, in re condita & interiora non penetrando, & putamen tantùm, nequaquam verò nucleum rei, ut ita

dicam, attingendo, longè aliter, quàm fas & veritati conſonum eſt, de mortalium actionibus, conſilijs, intentione, judicijs, ſermone & ſcriptione judicant & ſtatuunt.

Hujus rei illuſtre exemplum nobis præbet, fatalis illa & toto terrarum orbe cognita cauſa Palatina. Cui non dictus Hylas? *Sed quotuſquiſq;, amabo, de eâ hodie ſincerè & candidè juſtéq; ſentit? quotusquiſque eam probè cognoscit & intelligit? Quis enim de* Proſcriptione *contra Regem* Fridericum *Septemvirum promulgatâ? quis de Electoralium Palatinarum Ditionum, annexæque Dignitatis & muneris invaſione, direptione, alienatione, & perpeti in Bavaricam Stirpem tranſlatione? quis de Cæſaris, Bavari, Sociorúmque eâdem in causâ inſtitutis*

pro-

proceſsibus, prolatis ſententijs, decretis, reſcriptis, initis diſpoſitionibus, pactis, conventionibus, & ſimilibus rectè, ſecundum veritatem & juſtitiam, abſque odio & gratiâ, opinatur, judicat & ſentit? Totâ lege inſpectâ judicandum *eſſe, in jure præcipitur: ita etiam in iſtis tanti momenti rebus, niſi cunctis ad amuſsim expenſis, tum circumſtantijs & rationibus, tum temporum hominúmque conditionibus & intentionibus, denique verborum, ſententiarum & rerum intelligentiâ, conſtructione & tractatione examinatis, ſententiam & judicium ferendum. Si hæc ſpeciatim,* Καὶ καθ᾽ ἓν ἕκαστον, *quomodo ſingula libranda & perquirenda eſſent, deducere vellemus, magnis opus eſſet voluminibus. Nos reſervatâ majori earum rerum parte in aliud tempus, &*

Digitized by Google

ad alias operas & opera, quæ θεοῦ συνεργοῦντος, brevi publicaturi ſumus, impræſentiarum operæ duximus pretium, tam enucleationem & enodationem illorum duntaxat reſponſorum, reſcriptorum & placitorum, quæ Imperator Ferdinandus II. ſuperiori anno, quo Sereniſſimus Rex Magnæ Britanniæ Carolus, ſolemnem ad eum, pro obtinendâ Palatinatûs, Suorumque ex ſorore unicâ Reginâ Elizabethâ Nepotum reſtitutione, miſerat legationem, reddidit & præſcripſit: quàm ſuccinctam demonſtrationem injuſtitiæ & nullitatum, quibus allegatæ à Cæſare Diſpoſitiones de tranſlatione, & perpetuâ in Bavaros factâ alienatione Electoralis dignitatis & ditionum cohærentium gemunt, & conſertæ ſunt, in vulgus, ϗ εἰς τὸ φῶς, protru-

dere

dere & efferre:tum,quia juſsi & rogati eramus ab iis, qui mandandi & rogandi autoritatem habebant; tum, ut meis operibus ſecuturis aliquid præluceant luminis, vel ſaltem viam & ſaltum pandant; denique, ut ex his conjectura & judicium fiat, quid de cæteris in hâc causâ actibus, ex adverſo, ſive per violentiam, ſive per calliditatem, exercitis, tenendum ſit. Circa Diſpoſitiones iſtas, & in deducendis earum Nullitatibus, ampliorem me eſſe & acuratiorem oportuiſſe, forſan nonnulli requirent: ſed ſciant velim, me lubenter id facturum, καὶ τὰ ἐπὶ μέρος *perſtricturum fuiſſe, ſi diſpoſitiones illas, quas quidem è tenebris, in quibus conditæ fuerunt, in lucem editas eſſe nondum conſtat; in ſuâ formâ introſpicere licuiſſet. De* nullitatibus *adductæ* Pacificatio-

nis Pragenſis, *quâ diſpoſitiones iſtas confirmatas eſſe, obtenditur, multum diſputare & proloqui, haud conſultum arbitrati ſumus, non tàm ideò, quòd ad propoſitum noſtrum id non tanti facere putavimus; quàm quòd ab alijs materiem iſtam de induſtriâ, ſingulari cum ſtudio & laude, pertractatam vidimus. Eandem ſi ego quóque obſcuro meo calamo rimari, & eruere aggreſſus eſſem, quid aliud egiſſem, quàm,*

Horat. Stellis nebulam ſpargere candidis?

Quod ſupereſt, mi lector, te rogatum volo, ut mea hæc qualiacúnque αὐτοσχέδιασμα *æqui bonique facias; hoc modo ſtylo meo calcar addes, ut cum alacritate, quæ affecta & penè confecta in adverſa-*

rijs

rijs contineo, abſolvam, & tui quòque quàm primùm juris efficiam. Vale perbene. Dabam apud Vbios, Nonis Martij. CIↃ IↃC XXXVII.

ENODA-

Digitized by Google

Digitized by Google

ENODATIO RESPONSORVM CÆSAREANORVM in causâ *Palatinâ* datorum.

CVm proximo ſuperiori Anno, Sereniſsimus Rex magnæ Britanniæ, *Thomam Howardum*, Comitem *Arundeliæ* & *Surriæ*, Comitem Mareſcallum *Angliæ*, ad Imperatorem *Ferdinandum* II. mitteret Legatum, oratum cauſam Palatinam, & petitum reſtitutionem Sereniſsimi Electoris *Caroli Ludovici*, ſui Nepotis, & hujus Fratrum, varij varios

Digitized by Google

ſermones, judicia & ſententias, ſicut Principum actiones, diverſis vulgus rumoribus differre ſolet, ferebant.

Alij, ſatis ſuperq; ſegnitie, hæſitatione & mollibus Conſilijs peccatum, experientiam tot annorum, tot Legationum, tot interceſsionum in cauſâ Palatinâ adhibitarum, teſtatum feciſſe, nihil precibus, nihil colloquijs, nihil per æquas conditiones obtinendum & impetrandum, nihil moderati & juſti pactionibus extorquendum. Auſtriacos, Bavarum, & horum adſtipulatores, Septemviralem Palatinam Proſapiam, internecioni jamdudum deſtinaſſe, nunquam conceſſuros, ut hæc reſurgat, & Palatini Principes exules, libertatis antiquæ præ cæteris tenaciores, & dominationi novæ infenſiores, adhæc, cognatione & amicitiâ exterorum Regum

poten-

Digitized by Google

potentiores, priſtinæ reſtituti fortunæ in Patriam redeant, & ſibi formidini ac veluti ſpina in oculis ſuis ſint. Illos præterea timiditate partis adverſæ inſolentiores factos, res ſuas interea conſtabilivíſſe; Palatinicas verò magis ac magis concidiſſe.: amicos, ſocios & auxiliatores metu & dubitatione ſuſpenſos, & ſpe ſumendorum pro cauſâ Palatinâ armorum, ſæpiùs deluſos, ad alias ſocietates amplectendas neceſsitate compulſos, ſeceſsionem tandem feciſſe. Reſtare adhuc Suecos & Gallum, horum amicitiam & conſponſionem accipiendam, cum illis arma & conſilia jungenda, dum potenti & victore milite Auſtriacos fatigent; non negligendam hanc occaſionem, excutiendum veternum, rem toties fruſtra per colloquia tentatam, iterum per alia tentare; & ab

armis, in quibus tamen ſola ſpes eam obtinendi, abſtinere, vel imprudentiæ, vel ignaviæ, indicium fore. Annon ſatis hactenus per octodecem integros annos Reges Angliæ fuerint ab Auſtriacis deliniti & retardati? an ſibi ſemper verba dari ſuſtineant, nunquámne expergiſci, & injurias acceptas ad animum revocare audeant? *Hæc & ſimilia, homines* ἀρδο-πυδȣϛοὶ *flagrantiores & promptiores memorabant.*

Alij verò, *qui moderatiores & pacatiores,* Regis prudentiam, pietatem & æquanimitatem commendabant; negari quidem non poſſe, nihil hactenus tot Legationibus & Interceſsionibus, in causâ Palatinâ effectum fuiſſe, imò omnem laborem, preces & conatus in fumum abijſſe: attamen conſiderandum, quòd poſt mortem Regis

Regis *Friderici*, pro quo potiſsimum intercederetur, cujuſq; reſtitutio & reconciliatio quæreretur, queq; Cæſareani autorem & facem turbarum dicerent, & in quem ſolum ſe iratos eſſe aſſeverarent, rerum ſtatus haud parùm fuiſſet mutatus, ac propterea vero ſimile fuiſſe, odia & iras nonnihil reſediſſe, homines moderatiores, ſicuti præ ſe ferrent, jam tandem futuros, nec in liberos inſontes, Patre vivis exempto, extenſuros & jacturos animi exacerbationem. Proinde, Regem prudenter agere, quòd jam nomine ſuorum Nepotum, miſsâ ſolemni Legatione, compoſitionem tentare, eorumq; reſtitutionem per conditiones procurare, & experiri conetur, an adverſarij contra iſtos æquè inſolentes & truculenti ſint, ac contra Patrem fuerint, cum ta-

men minus cauſæ adverſus illos, quàm hunc habeant.

Præterea, magnam ſpem obtinendæ reſtitutionis, ex adverſo Regi datam, ab eoq; petitum, ut in colloquium deſcendere, Legationemq; cum liberâ poteſtate ad Cæſarem quàm primum mittere vellet, fore, ut felici res exitu concludatur. Hanc ſpem ſi ſubitò adſpernatus, vel rem pro depoſitâ reliquerit, vel bellum moverit; adverſarios cauſam & prætextum habituros, de ejus impotentiâ & præcipiti animo conquerendi. Alias inſuper cauſas remoræ & obſtaculo eſſe, cur non conſultum Regi, illotis ſtatim manibus, & antequam res ſuas, in tutiorem & paratiorem ſtatum collocârit, Martem laceſſere: Quanquam verendum eſſet, Legationem etiam iſtam fore irritam &

ſine

Digitized by Google

ſine ſucceſſu, atque interim præclaras rei gerendæ occaſiones neglectum iri; Regem tamen hoc inde beneficium conſecuturum, ut non tantûm juſtitia cauſæ, innocentia Nepotum, hoſtium verò ſuperbia & injuria ſint evidentiùs apparitura; ſed ipſe quoq; excuſatior magiſq; laudandus futurus, ſi, poſtquam omnia expertus, & ultimum, quod reſtabat, conamen conciliandæ per pactiones pacis conatus fuerit, ad alia conſilia invitus deſcenderit.

Hæ & ſimiles rationes Regem ſapientiſsimum & moderatiſsimum meritò permoverunt, ut Oratorem ſuum *Thomam Howardum*, Comitem *Arundeliæ* & *Surriæ*, ad Cæſarem, expedito itinere, contendere juſſerit, eámque in rem mandata perfectiſsima dederit. Oratori in *Germaniam*

pene-

penetranti quædam præter opinionem contigerunt, ex quibus homines pragmatici, haud oppidò bene de ſucceſſu ſuæ Legationis ominari occœperunt.

Nam, primò adſpicere velut oculis, & pati coactus fuit, ut in miſerorum, pro quibus tamen intercedebat, civium &incolarum Franco-Vallenſium corpora & bona, continenter ſæviretur: Pars carceribus incluſi, & ad ſolvenda injuſta lytra, minis & inediâ adacti, diſcruciebantur: pars extorſionibus, tributis, oneribus & ſervitijs vexati, conficiebantur. Quò magis ille conquerebatur & orabat, tantò aſperiùs hi tractabantur. Omnibus ſuis precibus & obteſtationibus, ne tantum quidem apud Cæſarem, apud Regem *Hungariæ*, apud horum miniſtros, Hiſpanicóſque Le-

gatos

Digitized by Google

gatos obtinere potuit, ut miſeris pactiones & conventiones, cum ipſis, quando ſeſe dederent, initæ, obſervarentur; quin ab eo tempore; quo illorum cauſam egit, velut de induſtriâ duriùs fuerunt habiti. Quomodo erga ſperare poterat, ſe impetraturum ſumma, cui negarentur minima?

Deinde, cùm *Norimbergæ*, per *Johannem Taylerum* ex Aulâ Cæſaris venientem, intellexiſſet, Regem Hungariæ, qui Nordlingam in Vindelicis, & ad exercitum progrediebatur, deſiderare, ut ſibi in itinere occurreret, ſiquidem magnoperè cuperet Legatum conventum, præmiſit eundem *Taylerum*, ut de tempore & loco conveniendi conveniret, ſéque certiorem protinus faceret. Verùm poſt aliquot dierum expectationem,

cognovit tandem Regem, de nullâ re minùs, quàm de congreſſu illo, ſollicitum, vel planè ejus oblitum fuiſſe: Imò ne per literas quidem, neq; per aliquem familiarem, quod aliàs moris eſt, quando Regum Oratores ad provincias & territoria Principum adventant, ſalutare dignatus eſt; quod vel ſuperbiæ, vel contemptûs, vel inurbanitatis ſignum æſtimabatur.

Ad hæc, paulò pòſt deprehendit, Regem, eodem quaſi tempore, quo eum convenire debuërat, bona quædam ſacra, agros, fundos, & integra cœnobia in Inferiori Palatinatu, & in quibus Regina Bohemiæ Regis ſui Soror, Dotis hypothecã & donationem propter nuptias conſtitutam habet, Ieſuitis, per ſolemnes Donavverdæ deſcriptas tabulas, præcipiente & mandante Patre Cæſare, ſicuti ibi

me-

memoratur, donaſſe & tradidiſſe: quod ſanè nullum indicium faciebat, propenſæ ad reſtitutionem voluntatis, dum alienandi potiùs & diſcerpendi, atq; diſtrahendi, quàm reddendi, animum oſtentabat.

Cùm Lintzium, nobile in ſuperiori Auſtriâ ad Danubium ſitum, oppidum, ubi tum Imperator morabatur, propediem Ratisbonam ad Cœtum Septemvirûm progreſſurus, perveniſſet, magno quidem honore & ſingulari cum prolixitate fuit exceptus; ſtatim etiam ſemel atq; iterum alloquendi Cæſarem & Auguſtam, facultatem habuit. Verùm in cauſâ, quam oratum & propoſitum venerat, altum per plures dies ſilentium offendit. Tandem tamen, poſtquam moræ impatiens, enixiùs urſiſſet, Cæſar, ac ſi rem ſeriò tractandam cu-

 pe-

peret, certos quoſdam Conſiliarios, qui cum eo diſceptarènt, delegit: Epiſcopum nempe Viennenſem, *Petrum Henricum Stralendorffium* Vice-Cancellarium Imperij, & *Juſtum Gebbhardum* ICtum. ſemel dumtaxat conventum, nimirum ad xiv *Kal. Sextilis*: Legatus enim perlecto mandato, quod Imperator ſuis Conſiliarijs, ad id negotium tractandum, dederat, valdè offendebatur, quòd in eo inter alia ſcriptum vidiſſet, Regem Magnæ Brittanniæ, per *Johannem Taylerum*, Se ſe ad fœdus tam offenſivum, quàm defenſivum, cum Cæſareâ Majeſtate & cum totâ Domo Auguſtâ Auſtriacâ, contra hoſtes & adverſarios communes, ineundum & firmandum obtuliſſe. Hoc quia Legatus falſum & contra Regis ſui exiſtimationem, fidem

dem & integritatem eſſe, noverat, rationem ſui officij efflagitare à ſe judicavit, ut ejuſmodi imputationem, tam oratione, quàm ſcripto, confutaret & contradiceret; & hæc quidem cauſa fuit, cur, ab ulterioribus congreſsibus, fuerit abſterritus. In hunc autem modum excepit:

Hæc, inquit, cum indigna & à mente, à fide & magnanimitate Regiæ Majeſtatis, prorſus ſint aliena, omnino officij mei, & honoris ac dignitatis Sereniſsimi Regis, intereſſe arbitratus ſum, apud Cæſaream Veſtram Majeſtatem & ſcripto, & coram, dolorem & ægritudinem animi, quam inde percepi, declarare, ac conqueri, teſtificando palam; contra Sereniſsimi Regis intentionem, imò, non ſine aliquâ offenſionis

& ignominiæ notâ dici, Eum ultrò fœdus offenſivum & defenſivum Cæſareæ Veſtræ Majeſtati totíque Domüi Auſtriacæ contra omnes hujus hoſtes, obtuliſſe. Quod ſanè, & ad injuriam cæterorum Suæ Majeſtatis Confœderatorum, qui júſtam inde occaſionem, malè de Ipſâ ſuſpicandi & conquerendi, habere & arripere poſſent, ſpectaret: & Suam Majeſtatem ad id, quod cum honore & conſcientiâ ſuâ, exuendo ſine gravi cauſâ neceſsitudinẽ cum reliquis ſuis amicis, facere nequeat, adſtringeret, & in æternam belli neceſsitatem implicaret.

Quòd ſi Sereniſsimi Regis Ablegatus *Johannes Taylerus*, tale aliquid promiſit, aut ejus ſpem fecit, ſicut in deſcripto illò mandati con-

Digitized by Google

continetur, oportet ut dicam, eum ſine mandato hoc feciſſe, ac proinde ad rationem reddendam, obligatum eſſe. Sin verò ab hâc imputatione immunis eſt, ſicut proteſtatur & conteſtatur ſe eſſe, nihilque tale unquam protuliſſe, provocando ad omnes ſuos libellos Curiæ Imperiali traditos: quid aliud inferre & dicere licet, quàm indignitatem, & Sereniſſimo Regi, & mihi ejus Oratori, factam fuiſſe, dum in faciem, & publico ſcripto, tam indigna & aliena obtruduntur & imputantur?

Hæc cùm ita ſint, Cæſaream Veſtram Majeſtatem humilimè obſecro, ut iſta omnia, pro ſuâ Cæſareâ prudentiâ perpendat, & rem ita dirigat, ne quid tale,

quod

Digitized by Google

quod aut Regi, aut mihi, ignominioſum parúmque honorificum ſit, fiat, dicatur, aut ſcribatur. Sed ad rem ipſam, bonâ fide, omnibus dilationibus & ambagibus remotis, deſcendatur, & ejuſmodi mihi reſponſum, quod Regiæ Magiſtati ſatisfacere, & gratum & acceptabile eſſe, indiciúmque præbere poſsit, rem ſeriò & cum ſpe boni ſucceſſûs agi, quantò ocyùs detur.

Cæſar ad iſta, verboſo & diffuſo ſcripto, reſpondit, tum mentem & opinionem ſuam explicando, tum repetendo ex actis, quæ circa & materiam & formam fœderis propoſiti, ab aliquo tempore ultrò citróque acta, dicta, ſcripta & tractata fuerunt, tandem ita concludit.

Hæc igitur, inquit, omnia, cùm ita

Digitized by Google

ita ſe habeant, prout ex originalibus ipſis ſcripturis, quæ allegantur, & quarum inſpiciendarum offertur poteſtas, comprobantur, & cùm ex his, cuivis liquere poſſit, non fuiſſe intentionem aliam, vel Sacræ Cæſareæ Majeſtatis, vel Sereniſsimi Magnæ Britanniæ Regis, quàm fœdus vtrinque, & contra non unius ſolummodò, ſed utriuſque vel omnium partium communes hoſtes & adverſarios, offenſivũ & defenſivum concludere; cùm illud alterum, ſi nimirum, contra unius tantùm partis hoſtes, concluſio fiat, naturæ ipſi hujusmodi fœderum limitatio & moderatio, ab ipſis tractatibus, quæ ſuper ijs inſtituuntur, dependere ſoleat, quibus quid rationi conſentaneum, ac utriq; parti ho-

 neſtum

neſtum ac decorum ſit, diſpicitur; Cumq; demum de ſummâ Sacræ Cæſareæ Majeſtatis æquitate, & in Sereniſsimum Magnæ Britanniæ Regem, benevolentiâ minimè præſumendum ſit, quidquam Illam ab eodem, quod fidei, vel dignitati ejusdem adverſetur, poſtulaturam eſſe: Eadem Sacra Cæſarea Majeſtas omninò confidit, neminem fore, qui illi vitio vertat, quòd rem prout eſt, & prout ſuus fert candor, vocare & explicare voluerit; non recuſans cæteroquin, quin nihilominus circa ſæped. Clauſulam, ea adhibeatur moderatio, quæ ad tollendas è medio omnes offenſionis anſas, communi conſenſu videbitur.

In causâ verò principali in hanc ſenten-

ſententiam reſcripſit. Meminiſſe ſe, in quem ſenſum, jam antehac diverſis decretis ſuis, ac nominatim illo, quod die XXIV *Februarij* proximè præteriti, Ablegato ejuſdem Sereniſsimi Regis Magnæ Britanniæ, ad ſe deſtinato, conſignari voluit, ſeſe declararit; Nimirum, ex cauſis ac rationibus ibidem allegatis, paratum ſe eſſe, ſi Comes Palatinus *Carolus Ludovicus* conditiones in dicto decreto contentas impleverit, eundem à Banno Imperiali, ex delicto paterno in eundem derivato, eatenus & ad eum effectum, ut ipſe in ordinem & gradum Sacri Romani Imperij Principum, recipiatur, clementer abſolvere, ſimulq; in partem haud contemnendam Ditionum avitarum

reſtituere, iuxtáque ac conventum fuerit, Eidem Inveſtituram impertiri; Demum, ubi ad tractatus ventum erit, quoad Dignitatem Electoralem & reliqua petita tum propoſita, eum ſervare modum velle, ut in iјs, quæ æquis conditionibus concedi poterunt, habeat, cùm Seren^mus^ Magnæ Britanniæ Rex, unde ſtudium & benevolentiam in Se Sacræ Cæſareæ Majeſtatis, tum ſæpedictus quòque Comes Palatinus, propenſam in Se gratiam ejuſdem poſsit cognoſcere. Huic tàm benignæ intentioni ac declarationi ſuæ, Eandem Sacram Cæſaream Majeſtatem etiamnum eò firmius inhærere, quò per dictum Dominum Legatum, & ex literis ac mandatis prælibatis certior facta

Digitized by Google

cta eſſet, de ſtudio & benevolentiâ in Se & totam Auguſtam Domum ſuam, memorati Sereniſsimi Regis, ut qui non aliam, quâm candidam & ſinceram, in omnibus antehac tractatis & oblatis, intentionem afferat; Cui voluntati & intentioni Majeſtas Sacra Cæſarea in ſe omnino ſimilem eſſe, & perſtare conſtanter confirmat, Eidem conſentaneum cenſendo, ut quâ de re tractatum inſtitui ſemel placuit, id etiamnum firmum maneat.

Porrò autem, cum ſæpedicta Sacra Cæſarea Majeſtas, non ullo jure obligata; ſed ex merâ gratiâ & clementiâ Cæſareâ; ac imprimis ſtudio benevolentiæ, in ſæpe no-

Digitized by Google

nominatum Sereniſsimum Magnæ Britanniæ Regem, ductâ, mutuique ineundi fœderis intuitu, eò uſque ſe declararit, atque etiamnum declaret; Ac prædictus quóque Dominus Legatus, in eam ſententiam Sereniſsimi Regis ſui, quòd prælibata totalis reſtitutio, nunc continuò fieri debeat: Hinc Eandem Majeſtatem Cæſaream æquum cenſere, omninóque confidere, fore, ut idem Dominus Legatus ulteriùs ſeſe, cùm quoad modū petitæ totalis reſtitutionis, ac præſertim quoad Dignitatem Electoralem, tum etiam circa ea, de quibus Eidem Sacræ Cæſareæ Majeſtati ſpes facta eſt, quatenus videlicet Idem Magnæ Britanniæ Rex, ſe cum Eâdem & totâ Auguſtâ Domo ſuâ

Au-

Auſtriacâ, conjungere, quidque in beneficium ejus præſtare velit ac debeat, explicare non gravetur.

Ad illa Legatus, liquidò, ait, ex ipſo reſponſo Cæſareo apparere, neminem unquam Regiorum miniſtrorum, nec ipſum Regem in ullis ſuis ſcriptis, ejuſmodi fœderis, feciſſe mentionem, imò ne quidem verbis, aut familiari congreſſu niſi ex unico Comitis de *Schönburg*, Cæſarei in Hiſpaniâ Legati, relatu, tale quid dictum fuiſſe inferatur; quod tamen non uſquequaque quadret, cum prætenſo oblato fœdere. Et ſi quid tale privatis forſan in colloquijs excidiſſet, novum ſanè & inauditum prorſus eſſe tractandi modum, Omnia quæ familiariter

colloquendo à publicis miniſtris proponuntur, ſtatim publicis Inſtrumentis ſub ſigillo inſerere, & eadem ijs poſtmodum obijcere. At verò quale fœdus, & ſub quibus conditionibus à Regiâ Majeſtate oblatum fuerit, planè apparere tam ex verbis, quàm ex intentione ſcribentium & loquentium: Videlicet, ſi Cæſarea Majeſtas, attentâ Regiæ Majeſtatis intercesſione, Palatinatum Electoralem, cum annexâ Dignitate & juribus, reſtituerit, atque iſtò modo fundamentum, ad pacem in Imperio promiſcuè reſtabiliendam, poſuerit, tum Regiam Majeſtatem, fœdus cum Cæſareâ Majeſtate, cum Inclytâ Domo Auſtriacâ, cúmque Imperij Septemviris & ordinibus, arctisſimum

Digitized by Google

mum paciſcituram, tam ad pacem illam & tranquillitatem univerſam obtinendam, & æquis ultrò citroq́; conditionibus firmandam; quàm ad eam aſſerendam & defendendam contra eos, qui tam ſacro-ſanctam compoſitionem & quietem, impugnare & evertere, auſuri eſſent. Quamobrem Se Cæſaream Majeſtatem orare, ne Sereniſsimo Regi, Domino ſuo Clementiſsimo, aut Sibi ejus Legato, prætenſum illud fœdus ampliùs objiciatur, aut ulteriùs in morâ ſit, quò minùs ſupramemorata plenaria reſtitutio, abſque diuturniori procraſtinatione, maturetur, & perficiatur. Deinde refutat & rejicit, quòd Cæſar ſuo Decreto, ſeu declaratione, *Johanni Taylero* XXIV *Februarij Anno* CIƆ IƆC

 XXXVI,

xxxvi, datæ inhærere pergat, Se ſatis clarè, inquiens, in ſuâ Propoſitione & primo libello memoriali innuiſſe, declarationem iſtam talem eſſe, in quâ Regia Majeſtas minimè poſſet acquieſcere, tum propterea quòd longè infra ſpem & expectationem ejus eſſent, quæ ibi offerantur, eò quòd reſtitutio Sereniſſimi Electoris Sui Nepotis anguſtis admodum pomœrijs unius alicujus partis (quæ nec quidem nominatur) includatur & circumſcribatur; tum quia ibidem dicatur, Cæſaream Majeſtatem velle Comitem Palatinum *Carolum Ludovicum*, ſi conditiones præſcriptas impleverit, à Banno Imperiali ex delicto paterno in eum derivato, eatenus & ad eum effectum, ut in numerum Princi-

Digitized by Google

pum Imperij reciperetur, abſolvere: Cùm tamen conſtet Sereniſsimum Electorem *Carolum Ludovicum* inſontem & ab omni culpâ immunem, natúmque eſſe Principem Imperij, quod Ius, utpote à *DEO*, à Naturâ, à lege datum, ei competere, ac proinde ne auferri poſſe, fuſiùs, ſi opus foret, deduci poſſet. Ad hæc, ſicut Sereniſsimus Rex gratiam & clementiam Cæſareæ Majeſtatis grato animo amplecti cupiat: Ita prorſus iniquum fore, & Sibi & Nepotibus ſuis probroſum, æquitatem & juſtitiam cauſæ deſerere; quæ jure naturæ & gentilitatis, necnon Aureâ & alijs Cæſareïs Bullis, & fundamentalibus Imperij legibus nitatur, velut id ſuo loco & tempore poſſet de-

monſtrari evidentiùs. Quod modum reſtitutionis petitæ attineat, non alium ſe nôſſe, quàm ut Sereniſsimus *Carolus Ludovicus* Elector, hujuſque Fratres, per Decretum Cæſareum, per realem introductionem, & per ſolemnem Inveſtituram, (prout in hujuſmodi caſibus ſolens eſt) in avitas dignitates, feuda, poſſeſſiones & jura, quamprimùm reſtituantur. Deinde, ut hi reciprocè promittant, & reâpſe præſtent, quæ ejuſmodi Vaſalli & Principes Imperij, inveſtiti & in poſſeſsionem miſsi, jure & ex conſuetudine, præſcriptóque legum, præſtare & facere tenentur & obligantur. Ex parte autem Sereniſsimi Regis Sui, condicere & ſpondere, quòd ſi in Ip-

ſius

ſius gratiam, hæc reſtitutio maturetur, & ſine cunctatione expediatur, Regiam Majeſtatem ea lubenter facturam, quæ egregiam & Regiam ſuam propenſionem, erga Cæſaream Majeſtatem, Inclytam Domum Auſtriacam, Imperijque Ordines, ac *Germaniæ* tranquillitatem, luculentis teſtificentur effectis: Atque hæc omnia, tam ſuo, quàm ſuorum Nepotum nomine, ſolemnibus tabulis & pactis firmaturam, & conſignaturam; In quem finem Legatum ſuum, cum ſufficiente & ampliſsimam poteſtatem continente mandato ad Cæſaream Majeſtatem, & ad Imperij Ordines ablegaverit.

Ad iſta Imperator tum ſcripto primùm, tum per Conſiliarios ſuos

vivâ voce reſpondit. Scripto quidem in hæc verba: Se minimè neceſſarium ducere, de eo, quod juris eſt, quoad hæc impræſentiarum diſceptare; quod quidem ex parte Cæſareæ Suæ Majeſtatis non legibus tantùm communibus, ſed peculiaribus Imperij conſtitutionibus, & Aureæ Bullæ ſtatutis, indubitanter nitatur, necnon plurimis tam antiquis, quàm recentioribus exemplis confirmetur. Hoc jure uſam Majeſtatem ſuam Cæſaream de Ditionibus & dignitatibus ſæpedicti Palatini, liberè diſpoſuiſſe, quæ Diſpoſitiones per pacem nuperam *Pragenſem*, ac conſequenter nunc ab Vniverſis Sacri Romani Imperij Ordinibus, comprobatæ ſint. Ex his, ſi rectè ponderentur, liquere poſſe,

Digitized by Google

an & quanta hæc gratia ſit quam Cæſarea Majeſtas antehac liberis dicti Palatini obtulerit, atque etiamnum offerat, & quanti eam æſtimari oporteat. Quæ quum ita ſint, quúmque ſæpememorata Majeſtas Sua Cæſarea, ſe hactenus tum quoad benevolentiam & propenſionem ſuam, erga Sereniſsimum Magnæ Britanniæ Regem; tum quoad clementiam etiam erga Nepotes ejusdem, quondam *Friderici Palatini* liberos, eouſque declararit, quemadmodum, & ſub quibus conditionibus ſæpedictum Decretum diei XXIV *Februarij* continet: Ideò æquum cenſere, ac benignè requirere, ut dictus Dominus Legatus, ſi ita ei videbitur, ad particularia deſcendat; ac clarius, ſive ſcripto, ſeu, ſi

place-

placeat, quod Majeſtas Sua Cæſarea convenientiùs exiſtimat, oretenus conferendo cum Majeſtatis Suæ Cæſareæ Plenipotentiarijs, explicet, quid Majeſtati Suæ, Sereniſsimus Magnæ Britanniæ Rex, pro talibus oblatis vice verſâ offerat, ac præſtare intendat, ut pari paſſu, prout moris, de utriuſque partis poſtulatis, ac præſtandis tractetur, conveniatur & concludatur.

Hoc reſponſo accepto, Legatus ſe eo nequaquâ contētum eſſe, ſignificavit, ac propterea petijt, ut Cæſarea Majeſtas mentem ſuam planiùs & explicatiùs declararet, & determinatè atque abſolutè in medium depromeret, an & quid, & ſub quibus conditionibus, in hâc causâ facere, atque reſtituere in ſpecie conſtituiſſet. Suos igitur Conſiliarios,

Digitized by Google

ſiliarios, *Kalend. Septembris*, ad Legatum convenire, & ei in hanc ſententiam loqui juſsit: Cæſaream Majeſtatem expenſis & conſideratis omnibus, quæ tam à Legato repræſentata, quàm quæ in hâc causâ, conſideratu neceſſaria eſſent, mentem quidem ſuam voluiſſe, candididê & ſinceré hunc in modum aperire. In tribus verſari potiſsimùm capitibus, totum hoc negotium; Primò, in reſtitutione Inferioris Palatinatûs: Jam verò ſciendum, Regem *Hiſpaniæ* unam illius partem, propter ingentes impenſas, quas fecerit in executione ei demandatâ, oppignoratam poſsidere; alteram partem tenere *Bavarum* pari modo; nunc autem rationi & juſtitiæ conſentaneum eſſe, ut utriſque,

antequam hæc pignora & hypothecam reſtituant, priùs ſatisfiat. Cæſaream Majeſtatem eâ de re cum utroque diligenter egiſſe, & eos eoúſque perſuaſiſſe, ut in reſtitutionem conſenſerint, ſub hâc tamen conditione, ut Ipſis emolumenta quædam, quæ pro compenſatione jure prætendant, priùs addicantur & præſtentur. Vt verò Comes Palatinus tutò & quietè, ſine impugnatione poſsidere poſsit reſtituenda, Cæſaream Majeſtatem ex merâ gratiâ abrogaturam Bannum; eúmque in Ordinem & gradum Principum Imperij recepturam.

Alterum, concernere Electoralem Dignitatem: Quoniam verò Cæſarea Majeſtas de eâ, utpote de re ad Ipſam & Imperium pleno

no jure devolutâ, dudum, conſentientibus & approbantibus Electoribus, & ſecundum præſcriptum Legum & conſtitutionum Imperialium, liberè & abſolutè diſpoſuerit, eámque tum in Ducem *Bavariæ*, optimè de Cæſare, totóq; Imperio meritum, tum in lineam *Gulielmianam* ſolemniter, & per Inveſtituram, aliáſque obligationes tranſtulerit; adeò ut res jam ſit conſtabilita, & firmata atque immota, fas non eſſe de illius reſtitutione, in colloquium deſcendere, quamdiu aliquis ex dictâ Lineâ *Gulielmicâ* ſuperſtes ſit.

Tertium Palatinatum ſuperiorem contingere: De eo idem eſſe ſentiendum & obſervandum, quod de Dignitate Septemvirali;

Digitized by Google

nam ditiones iſtas Duci *Bavariæ* & Lineæ *Gulielmianæ* traditas eſſe in ſolutionem partis impenſarum, quas Dux ille, Imperatoris causâ, ad recuperandam Bohemiam impenderit. Hæc cùm ita ſint, & Cæſarea Majeſtas mentem ſuam tam ſimpliciter & planè detexerit; æquum omnino eſſe, ut Legatus nunc quòque declaret, quid Rex habitâ harum rerum, & Cæſareæ gratiæ & benevolentiæ conſideratione, viciſsim in commodum & utilitatem Cæſareæ Majeſtatis & Imperij præſtare, qualéque fœdus cum ipſis percutere intendat.

Ad ea Legatus paucis: Se gratias agere Cæſari, quòd tàm enucleatè animum ſuum retegere voluërit, inde enim ſatis apparere

poſsit

quid in toto hòc negotio, Rex, à cujus expectatione iſta ſint remotiſsima, ſperare poſsit ac debeat: acturum verò fuiſſe majores gratias, ſi iſta citiùs, & ſtatim ubi ad Aulam Imperialem acceſsiſſet, vel potiùs antequam ex Angliâ diſceſsiſſet, fuiſſent enunciata, tum fortaſſe compendi fieri potuiſſe, tempus & impenſas, neq; opus futurum fuiſſe plenipotentiâ, & ſolemni Legatione. Sibi jam os occludi, ut non poſsit ulteriùs progredi, aut aliquid in medium depromere: nihil aliud reſtare, quàm ut de cunctis Regem ſuum certiorem faciat, quod facturus ſit fideliter & ſine affectu; Cæſarem per ſuos miniſtros idem facere poſſe, ſi fortè vereatur, Se, vel plus, vel minus dicturum.

Biduo poſt Cæſari coram collocutus, repetijt quæ ſibi à miniſtris ejus expoſita fuerint, quæque his reſponderit, & quod in eo eſſet, ut miſſo Curſore, velit de omnibus Regem ſuum informare: In Angliam igitur ad Regem expedit literas; interea ſimulat ſe non expectato reditu Curſoris, diſceſſurum, ſperans, ſe apparatu ſui abitûs, moturum & flexurum ad moderationem & æquiorem ſententiam Cæſareanos, qui nollent fortaſſe, utre infectâ & rupto colloquij filo diſcederet: ſed fruſtra, tempus interea elapſum eſt, & Curſor redijt, qui Legato literas à Rege attulit, per quas ei præcipiebatur, ut, quoniam ſpes nulla ſit, obtinendæ per æquas conditiones reſtitutionis Palatinatûs Electoralis, domum reverteretur, relicto in Aulâ Cæſareâ *Iohanne Taylero.*

Digitized by Google

Taylero. Cum. Cæſareani viderent Legatum in procinctu eſſe abeundi, omnem induſtriã, omnes artes, omnes nervos intenderunt & adhibuerunt, ut eum detinerent diutiùs. Hinc factum, ut Rex *Hungariæ* filius Cæſaris, qui noviſsimè advenerat, Legati propoſitum diſcedendi, ſufflaminârit, ſpe ſingulari datâ, ſe procuraturum, ut hoc negotium reſtitutionis ad felicem exitum deducatur, neque Legatus cauſam habere queat conquerendi, aut pœnitendi, ſi parvi temporis moram tulerit. Orator ergò conſultum judicavit, per aliquot dies diſceſſum ſuum proferre; tum, ut videret, an aliquid magis æqui & moderati Cæſar dicere vellet, tum, ne occaſionem daret, ſibi exprobrandi, quod præfeſtinantior fuerit, & auſcultare renuërit, quæ in medium pro-

proponenda, offerrentur. Cùm verò tempus nimium illi extraherent, rem ad Electorum deliberationem remiſſam, horúmque ſententiam priùs intelligi neceſſè eſſe cauſando, Legatus factâ unâ alteráve interpellatione Séque fruſtra operiri animadvertês, Electores, Regem, & Cæſarem adijt, & valedixit ad VI *Idus Novembris.*

Diſcedenti, promiſsio & ſpes facta, fore, ut brevi, antequam *Germaniâ* excedat, ei literæ & reſponſio, quæ poſtulatis ejus propriùs accederet, tranſmittantur. Literas quidem aliquas *Norimbergæ* traditas accepit, inter quas una erat ad *Reginam Elizabetham*; ſed in inſcriptione ſtudio omiſſum erat Electricis & Comitis Palatinæ cognomen, ſub falſo obtentu illud ei, propter Mariti proſcripti cauſam dari non poſſe: ideò Legatus lite-

literas iſtas, cum indignatione & objurgatione, eò, unde venerant, remiſit. Et ſanè res eſt inaudita & crudelitatis, & injuſtitiæ, neq; inter Barbaros unquam intellecta, neque in ſævisſimis Syllæ & Marij Proſcriptionibus, neque ſub Triumviris, exercita, ut, nimirum, propter crimen Mariti, etiam atrocisſimum & ex confeſsione manifeſtisſimũ, innocens mulier jure ſuo & bonis, atq; dignitate & nomine, quæ ante cõmiſſum viri flagitium, habuit & obtinuit, privaretur: ſicuti hodie ex parte Cæſareanorum, Contra *Reginam Elizabetham*, fieri præſumitur, cui non ſolùm dotalitia bona, vi & injuriâ, ſunt adempta; ſed etiam nomen, titulus, & dignitas, quæ nubendo conſecuta eſt, præripi tentantur: cùm tamen ejus Maritum criminis imputati, nunquam fuiſſe convi-

Digitized by Google

ctum, adhæc à Cæſare, in propriâ cauſâ, inauditum, indefenſum, non vocatum, illegitimè, injuſtè & nulliter, ex mero odio & vindictâ, proſcriptum. Sed ad rem.

De reſponſione verò illâ, de quâ Legato Britannico ſpes facta fuit, diu nihil audiebatur; tandem aliqua ſive Notificatio, ſive declaratio ad XIV *Kalend. Februarij*, exarata, in Angliam tranſmiſſa venit. Illa hæc continet:

Cæſaream Maieſtatem, poſtquam cognoviſſet, potiſsimam difficultatem, quò minùs hoc negotium, ad deſideratæ utrinque arctioris coniunctionis & confœderationis effectum, perduceretur, in eo verti, quòd Sereniſsimus Rex ampliorem aliquam ſatisfactionem, ſibi pro Nepote ſuo

quoad

quoad Electoralem Dignitatem deſideret, non intermiſiſſe de mediis omnibus, quæ ad ſuperandam eam difficultatem pertineant, convenienti ſollicitudine, perquirere & indagare, communicando ſuper hâc re, tam cum excelſo collegio Electorali, quàm cum iis, quorum hoc particulariter magis intereſt, & ſine quorum conſenſu, rebus ſic ſtantibus, ſoli Maieſtati Suæ Cæſareæ, de hâc re ſtatuere, non omninò eſt integrum. Poſtquam igitur, media quædam ſeſe aperuērint, ex quibus ſpes affulgeat, poſſe prædictam difficultatem, quoad Dignitatem Electoralem, ſtante etiam Lineâ quondam Wilhelmi Ducis Bavariæ, ſuperari, ac Sereniſsimo Magnæ Britanniæ Regi, ampliorem aliquam ſatis-

factionem dari, Romanam Regiam Maieſtatem omittere noluiſſe, quin de hâc re, Sereniſsimi Regis Magnæ Britanniæ Ablegato *Johanni Taylero*, in hunc finem ibi relicto, ſignificaret, qui de eâdem ad Regem ſuum quantò ocyùs referre, & convenientem curam ut ſufficiens mandatum, ad pertractandum ac penitùs abſolvendum, hoc reſtitutionis & confœderationis negotium, quamprimùm vel ſibi tranſmittatur, vel in alium, qui mittendus videretur, conferatur, adhibere noviſſet.

Atque hæc eſt brevis in compendium conjecta Relatio eorum; quæ in hac ſolemni Legatione ultrò citróque acta, dicta & ſcripta fuërunt. Iam verò, Primo loco, & ad faciliorem conſequentium

Digitized by Google

tium iudicationem notandum: Legatum Britannicum ſtatim in primordio ſuæ Legationis, in propoſitione primâ, deinde iterum in alio libello ad Imperatorem, contra Cæſaris, ut illi vocant, *Decretum de die xxiv Februarii* exceptionem oppoſuiſſe, illud tum rejiciendo, tanquam nullum & à re vacuum, tum demonſtrando præſcriptas in eo conditiones longè infra ſpem & expectationem, quam Sereniſsimus Magnæ Britanniæ Rex de integrâ reſtitutione Palatinatûs, hoc eſt, tam territorij, quàm connexi muneris Electorij conceperit, eſſe, ac propterea meritò cauſam daturum fuiſſe, de ſucceſſu & confectione negotij addubitandi & diffidendi; operámque expediundæ Legationis ſuperſedendi; niſi aliunde, & maximè per ipſum Taylerum, cui *Decretum* iſtud traditum fuerit, amplior & lautior

atque firmior, ſpes & cautio, nomine Cæſareæ Maieſtatis data fuiſſet, ſolidæ & plenæ circa Palatinatûs reſtitutionem ſatisfactionis & gratificationis. Et ſanè indubium eſt, Prudentiſsimum illum & Optimum Maximum Regem nequaquam Oratorem Suum propter tam iejunas & ventoſas, vituperij & prejudicij plenas conditiones & leges, quæ in iſto ſcripto feruntur, miſſurum fuiſſe. Niſi enim aliud & maius certiúsque fundamentum ſpei ſuæ habuiſſet, aliiſque argumētis & perſuaſionibus adductus fuiſſet; Legationem tam ſplendidam compendi feciſſet.

Præterea conſiderandum, Imperatorem in primo ſuo reſponſo, quod Legato dedit *Lintzij* ad diem trigeſimam menſis *Iunij*, tacitè agnoviſſe à ſe profectam fuiſſe ſpem illam, quia nihil contradixerit tunc aut excepe-

rit:

Digitized by Google

rit: imò etiam exceptionem, quam Legatus XVIII. *Junij* contra dictum *Decretum de die* XXIV *Februarij* propoſuerat, tacendo cõprobarit, & ratione & veritate niti agnoverit. Quòd verò poſtea θαῤῥηκοτέρως contradixerit, addendo, Se mirari quo fundamento Legatus præſuppoſuërit, Se ſpem dediſſe vel amplioris gratiæ, vel reſtitutionis plenioris, quàm quæ in ſæpememorato Decreto contineatur, indicio erat Cæſaream Majeſtatem in priori ſuâ ſententiâ firmiter permanſuram, & ne latùm quidem unguem ab eâ diſceſſuram, quicquid alij vel dicerent, vel crederent in contrarium.

At jam operæ pretium fuerit, conſiderare & examinare, quæ & qualia ſint Cæſaris oblata, que toties repetuntur & tanti æſtimari & pro ſingu-

lari

Digitized by Google

lari beneficio reputari jubentur: deinde, ſub quibus conditionibus ea fiant, hoc eſt, qualia ſint ea, quæ ab *Electore Carolo Ludovico*, & à Rege in agnitionem tantæ gratiæ viciſsim præſtanda exiguntur.

Primò, offert Cæſar Se *Carolum Ludovicum* à Banno Imperiali ex delicto paterno in Eum derivato, eatenus & ad eum effectum obſoluturum, ut in Ordinem & gradum Principis *S. R.* Imperij recipiatur. Magnum, ſi Dijs placet, beneficium illi, qui natus eſt Princeps Imperij & jure proprio, acquiſito & primogenituræ Elector, qui non ex beneficio Patris & per viam hæreditatis; ſed ex providentiâ legis & ex pacto primi acquirentis, jure gentilitatis in Electoratum ſuccedit? Si hoc Cæſaris oblatum Elector eo ſenſu,

quo

quo offertur accipit, cogitur agnoſcere & præſuppōnere, Primò, Bannum contra Patrem Suum deproperatum legitimum & juſtum eſſe, & ſecundum jura decretum & promulgatum: Deinde, illud contra Se quòque locum habere, non ſecus ac ſi Ipſe in Bannum eſſet declaratus & neceſſè haberet eo abſolvi. Quod non ſolùm contra apertiſsimum jus faceret; ſed etiam Patri Regi τῷ μακαρίτῃ, tum Sibi Suíſque perpetuam ignominiam & maculam afferret. Nec bonâ cum conſcientiâ, aut citra ſummæ ingratitudinis crimen facere id poſſet; tum quia Genitoris ſui honorem & exiſtimationem læderet, Eum rebellem, perduellē & reum Læſæ Majeſtatis, ac propterea legitimè proſcriptum fuiſſe, tacitè agnoſcendo & cōfitendo; tum quia in animo ſuo perſuaſus eſt,

Patri ſuo injuriam factam Bannúmq; contra eum evibratum nullum eſſe & illegitimum; & licet juſtè decretum & pronunciatum foret, contra Se tamen, utpote innocentem, & natum diu ante divulgatam proſcriptionem, & jus quæſitum adeptum, & non Parenti ultimo poſſeſſori, ſed primo acquiſitori ex lege feudali & fundamentali ſuccedentem locum nequaquam habere & extendi poſſe; Bannum enim, ut inquit & probat Andræas Gallius magnus Iureconſultus Cameræ Imperialis Aſſeſſor, duorum Imperatorum Conſiliarius & quondam Ducis Bavariæ Advocatus, lib. 2. de pace publica, obſerv. 15. num. 9. eſt perſonale & cum perſonâ extinguitur, & obſerv. ultima. n. 32. Bannum morte, ait, Banniti expirat per l. crimen vel pœna paterna nullam maculam filio infligere poteſt. 26. & ibid. nec alieni criminis ſucceſſor conſtituitur. D. de pæna, & per l. defuncto D. de publicis judicijs, & per l. 1. & final. C. ſi reus vel accuſatus mortuus fuerit,

adde

adde l. publica. 3. D. de publicis judicijs, & allegat. infr.

Deinde cogeretur confiteri & agnoſcere, Se non eſſe Principem Imperij, quia opus habeat in iſtum gradum aſciſci. Qui Eum pro Principe *Germaniæ*, hoc eſt, vel pro Comite Palatino Rheni non æſtimant, neceſsè eſt ut præſupponant Eum vel Nothum, vel Hiſpaniæ, vel Galliæ, vel alterius Imperij: at hoc falſum, (niſi quòd Angliæ Princeps ideò dici meretur, quia Princeps eſt ſanguinis Anglicani) ſicut illud Diabolicum eſt. Iura ſanguinis, inquit lex, nullo jure civili, per quod Bannum eſt introductum, dirimi poſſunt. l. jura. 8. D. de regul. juris. l. jus agnationis. 34. D. de pactis.

Principis Anhaltini proſcripti filius, quamvis in prælio Pragenſi captus, nunquam opus habuit recipi in gradum Principum, ſed ſemper, etiam in captivitate, quia proſcriptus ipſe

non erat, nec in eum derivari ullo jure Bannum Patris poterat, habitus, tractatus & vocatus fuit Princeps, ab ipſo Cæſare & Cæſareanis; quamvis Pater ipſius nondum eſſet abſolutus à Banno. Ita filij *Johannis Friderici* Electoris *Saxoniæ*, in numero Principum habiti, & pro Ducibus *Saxoniæ* agniti, & ita compellati fuerunt, Patre licet Bannito & captivo. Quin liberi Regis *Friderici*, Comites Palatini, hoc eſt, Principes Imperij ex Illuſtriſsimâ Proſapiâ nati & orti, atque pro talibus etiam agnoſcendi & tractandi ſint, quis negare poteſt? Ipſe Imperator eos non aliter quàm hoc nomine compellat, nec aliter compellare poteſt. Quid autem ſit in Imperio Comitem Palatinum, & ex Septemvirali Palatinâ ſtirpe editum eſſe, vulgò notum

Digitized by Google

tum eſt. Nemini hoc nomen & titulus competit, & inditur, niſi qui ſit Princeps: Comitem Palatinum nominari, & inter Comites Palatinos accenſeri, idem eſt ac eſſe Principem Imperij, tali loco & gradu, qui in Imperio tribuitur ſecundum ordinem Comitibus Palatinis, qui ſunt primi & præcipui inter omnes reliquos Principes. Agnominatio Comitis Palatini in Imperio plus eſt, quàm Ducis aut Principis: hinc fit ut in deſcriptione titulorum & dignitatum Principes Palatini nomen Comitis Palatini præponant titulo Ducis.

Liberi Regis *Friderici* nonne ſunt Pronepotes Regis Daniæ ex Sorore? nonne ſunt Principes è ſanguine regio Britannico oriundi? Si vel hâc

ſolâ prærogativâ naſcendi niterentur, & non accederet generis paterni ſplendor, quis negaret eos Principes eſſe? quis auſit præſumere eis hoc ius à Matre, ab Aviâ & Proaviâ Regiis filiabus & Reginis collatum diſputare, & auferre propter Patris qualemcunq; condemnationem? Hæc cùm ita ſint, quo fundamento & iure ſtatuitur Carolum Ludovicum Electorem, natum Comitem Palatinum, & quidem tribus plus minus annis antequam Pater ipſius fuiſſet proſcriptus, opus habere recipi in numerum & gradum Principis Imperij? Magna eſt crudelitas eò adducere & cogere filium, ut Patrem ſuum, quem inſontem in animo & conſcientiâ arbitratur, pro rebelle, perduelle & reo Majeſtatis, propriâ confeſſione & agnitione, iudicet & de-

claret:

Digitized by Google

claret: major etiam, ſi ſemetipſe nocentem, qui tamen nullius culpæ ſibi conſcius eſt, nec per ætatem maleficicium committere potuit, ſiſtere & ſuis juribus, dignitate & natalium prærogativâ exuëre cogâtur & compellatur.

Eſto ſanè, ſalvâ tamen veritate, Patrem omnium maximum facinoroſum fuiſſe, & crimen perduellionis, fractæ pacis & Læſæ Majeſtatis, in ſupremo gradu commiſiſſe ac propterea juſtè ei aquâ & igne interdictum, omnibuſque juribus humanitatis privatum eſſe; hoc tamen liberis ante ſententiam condemnationis paternæ conceptis & natis, minimè nocere debet, preſertim in his, quæ innatam dignitatem & jus nobilitatis concernunt, quæque non deſcēdunt ex perſonâ Patris, ſed debentur, jure ſangui-

nis

Digitized by Google

nis, lege gentilitatis & ex pacto ac transſmiſsione Majorum, atq; ex diſpoſitione legis ; ſicuti ſunt Electoratus & Principatus Imperij, hoc eſt, feuda regalia, antiqua, quæ non veniunt nomine hæreditatis, neq; ex ſucceſsione Patris ; ſed iure primæ & ſimultaneæ Inveſtituræ, & per traditionem primi acquirentis & concedentis, c. 1. § poſtea verò, & gloss. in. d. c. §. cum verò, Conradus, in verbo. frater. lib. 1. de feud. tit. 1. De his qui feudum dare poſſunt. Baldus ad Rubric. de ſucceſſion. feudi ad §. Hoc quoq; n. 4. Filius inquit, non venit vt quilibet hæres ; ſed jure ſanguinis, quod eſt immutabile. & in c. 1. §. finali. Eaæ fuit prima cauſa benefic. amittend. Iure, ait, geniture, beneficio, Domini expressâ formâ Inveſtituræ, à cuius tenore non eſt recedendum, filius in feudo ſuccedit. Iulius Clarus ſupremus Regis Hiſpaniæ Conſiliarius & Regens in provincia Mediolanenſi lib. 4. Sentent. §. feudum. quæſt. 66. docet, quòd

crimen

crimen Patris non excludat filium à feudo antiquo, & lib.5.ſentent.§. læſæ Majeſtatis. n. 10. quòd pœnæ Læſæ Majeſtatis non habeant locum in natis & conceptis ante delictum Patris, ubi in notis addit Baiardus pœnam Patris nocere filijs tantùm in his, quæ deſcendunt ex perſonâ Patris; ſecus in alijs, nempe feudis ex pacto & providentiâ. Adde Boërium, qui deciſion parte.i. quæſt. 10.n.6. dicit, quòd filij ob crimen Patris non privantur bonis eis antè delatis, & quòd pœna l. quiſquis. C. ad. l. Iuliam Majeſtatis, non habet locum in filijs jam natis; ſed poſt delictum Cynum in d. l. quisquis. Alciatum qui conſil. 467. n. 7. communi opinione negat, dictam, l. quisquis pertinere ad legitimè conceptos & natos ante delictum. Adde Covarruviam, Grammaticum, Gailium, Mynſingerum, Baldum, Bartolum, Iſerniam, Alvarotam, Bartholom, Cammerarium, Rolandinum de Valle, cons. 74 lib. 3. Weſenbecium, Curtium Iuniorem & innumeros alios in eandem ſententiam. Conſidera autem

 impri-

inprimis has leges ſequentes, l. 3. D. de interdictis & relegatis & deportatis, Quæ verò, inquit lex, non â Patre, ſed à genere, à Civitate, à rerum naturâ tribuuntur, ea manent liberis incolumia, Patre relegato, *aut proſcripto.* l. 2. c. de libertis & eorum filijs dicit expressè delicta parentum non nocere filijs, quos tunc ortos conſtiterit, dum illi libertate potirentur. l. emancipatum à Patre 7. § 1. & 2. §. de Senat. ibi. Si quis conceptus quidem ſit antequàm Pater eius (propter crimen) Senatu moveatur, natus autem poſt Patris amiſſam dignitatem magis eſt, ut, quaſi Senatoris filius intelligatur. Tempus enim conceptionis ſpectandum, & §. 2. in d. l. dicitur. Avi potius dignitatem prodeſſe filio, quàm obeſſe caſum Patris. & l. filium familiâs. 9. D. eodem. quœſita, ait, dignitas liberis, propter caſum Patris remoti à Senatu, auferenda non eſt. l. qui ad tempus. 2. §. 3. & 4. D. de. Decurion. & filijs eorum, ubi dicitur

filium

Digitized by Google

filium, ſi poſt conceptionem Pater ipſius dignitatem amiſerit, non perdere tamen ipſum dignitatem, Item §. 4. eum, qui poſt Patris relegationem & proſcriptionem natus ſit, ſi quidem ante conceptus ſit, habendum eſſe Senatoris filium. Andræas Gailius l. 2. de pac. public. obſerv. 15. n. 23. bona, inquit, feudalia, mortuo Bannito, filiis aliisque agnatis reſtitui debent, quia delictum Patris vel agnati, non poteſt in feudo antiquo, ex pacto & providentiâ, præjudicare filiis & agnatis, & n. 34. defuncto Bannito, feudum antiquum & gentilitium ad hæredes ſanguinis, quibus ex pacto & providentiâ primi acquirentis, jus quæſitum eſt, revertitur, quibus regulariter delictum Patris vel agnati impedimento eſſe non poteſt. Verùm de iſtâ materiâ in libro noſtro Vindiciarum cauſæ Palatinæ.

 quò

quò lectorem remittimus, plenè & diffuſè atque ex profeſſo tractamus. Interim deteſtandum quòd, dum his beneficijs & diſpoſitionibus legum & jurium promiſcuè unuſquiſq; civis, inferioris licet ſubſellij, frui & tutus eſſe poſsit: liberis tamen Principum hæc juſtitiæ ordinatio denegetur, ijque deterioris, quoad juſtitiam, conditionis eſſe judicentur. Sed ad rem.

Offert Secundo loco Cæſar, Se reſtituturum Comitem Palatinum in partem haud contemnendam ditionum avitarum. Iam conſiderandum partem eam non nominari: nec declarari & innui quæ, qualis & quanta futura ſit. Ex interpretatione & judicio Cæſareanorum dependet, an talis ſit, ut pro non contemnendâ ſit æſtimanda. Si ſecundum

Digitized by Google

cundum æſtimationem conditionis, in quâ Electorem ponunt, computant; etiam parvam portionem pro magnâ æſtimabunt. At hæc fortaſſis tam exigua & contemptibilis erit, ut Regi & Electori eam accipere turpe & ignominioſum fuerit, magnúmque afferat præjudicium. E poſtremâ quidem, quæ data fuit Legato, declaratione, deprehenditur & perſpicitur, tum Electoriam dignitatem & munus, rem præcipuam & maximam, quæ ad reſtitutionem pertinet, tum Palatinatum ſuperiorem, partem coæquam parti, quæ in inferiore reſtat reſtituenda, removeri & ſecerni à reſtitutione: de neutro enim mentionem ullam faciendam, neque ſpem conſequendi præſumendã eſſe, quamdiu aliquis è ſtirpe *Bavaricâ* ſuperſit, clarè ibi edicitur. De parte tan-

tùm illâ, quam Bavarius & Hiſpanus in inferiori Palatinatu jure hypothecæ καὶ ἀντιχρήσεως poſſident, ſpes datur, fore nimirum, ut illa ſub certis conditionibus, ſi priùs hypothecarijs ſatisfactum fuérit, reſtituatur. Pars autem hæc, (ſi ab eâ excipias, ſicut excipere fas eſt, tum ditiones, quæ Ludovico Philippo Duci Simmerenſi Patruo Electoris debentur, tum bona Electrici Ludovicæ Palatinæ, Aviæ, & Reginæ Elizabethæ, matri, viduabus, in dotalitium aſsignata) perexigua & tenuis admodum erit: minor adhuc futura, ſi ab eâ ſepares agros, fundos, villas & oppida, quæ Leopoldo Auſtriaco, Epiſcopis Moguntino, Wormatienſi & Spirenſi, Magiſtro Equitum Ordinis Teutonici, Landgravio Darmſtadienſi, deni-

Digitized by Google

que alijs data, conceſſa & tradita fuerunt. De his enim nulla fit à Cæſare mentio, ideo minimè præſumi poteſt, ea in reſtitutionem partis illius non contemnendæ computari. Iam & hoc animadvertendum, non addi & exprimi, quando & cum quibus conditionibus poſſeſsio circumciſæ iſtius particulæ tradi debeat. De hoc priùs conveniendum erit, atque facilè fieri poterit, ut iniquæ & anormes intolerabileſque, & in quas cum honore & conſcientiâ Elector conſentire nequeat, conditiones præſcribantur & ferantur, quæ tam Religionis & Sacrorum receptum & priſtinum ſtatum, quàm formam adminiſtrandæ & regendæ Reipublicæ labefactent, & novis reſtrictiſque legibus coarctent. De eo quidem nullum eſt dubium, Hiſpanos & Bavarum nequaquam

quam redditutros, quæ ipſi in Palatinatu καὶ κράτος uſu capiunt, niſi priùs emolumenta & commoda, quæ in compenſationem καὶ εἰς ἀνταναπλήρωσιν prætendunt & pertendunt, quorum pretia intendere & amplificare nôrunt, reâpſe conſecuti fuerint: Hiſpani ſanè fœdus & auxilium contra Batavos & Gallum; tum protectionem vel deductionem ſuarum navium ſibi volent ab Anglis promitti & præſtari, id quod jam olim prætenderunt, dum ſubinde intonabant, non aliter ſe reſtituturos partem quam teneant in Palatinatu, niſi ſub iſtis & ſimilibus conditionibus. Bavarus, ὃς μηδὲν ἄλλο σκοπεῖ, πλὴν ὅπως πλέον ἕξει. Demoſth. nummorum aliquam ſummam, & hanc non exiguam poſtulabit. Caro igitur & nefando pretio conſtaret pars illa qualiſcunque: quæ tamen,

ſi

Digitized by Google

ſi præſens in Palatinatu deſolatio & vaſtitas agrorum, ſi deſerta & incolis vacua regio, ſi villarum & oppidorum ruina, & in cinerem inque favillas redacti lares conſiderantur, nullius planè æſtimationis aut pretij habere poteſt.

Porrò & hoc perpendendum, Principem Electorem non poſſe citra præjudicium juris ſui, citraque violationem legis fundamentalis, conſentire in aliquam partitionem, ſeu partis alicujus acceptationem, quia in Aureâ Bullâ, ſanctione pragmaticâ diverſis in locis, verbis ſæpiùs ingeminatis & enixioribus, omnis diviſio, ſciſsio, diſtractio & deartuatio interdicta, ſimul etiam ſacro-ſanctè ſancitum eſt, dignitatem Electoralem ita territorio Palatinatûs conjunctam & con-

nexam, ut alterum ab altero in perpetuum nullâ prorſus ratione ſepararare poſsit. Si nunc igitur partem aliquam acciperet εἰς μερισμὸν καὶ διάλυσιν, in partitionem & diviſionem conſentiret, & agnoſceret Septemviralem dignitatem aliquo ſaltem modo ſeparari poſſe vel à toto, vel à parte Palatinatûs: id quod citra præjudicium juris, & integræ ſuæ reſtitutionis vix facere poſſet; niſi fortè pars aliqua integralis, hoc eſt, totus inferior Palatinatus, cui alligata eſt dignitas, redderetur, & quidem cum hâc conditione, ut jus & ſpes conſequendi reliqua integrum & illæſum maneat. Tum non partitio & diviſio perpetuò manſura dici poſſet; ſed potiùs ſuſpenſio integræ reſtitutionis & conglutinationis. Sed à tali moderatione & conſilio longè abeſt & Cæſa-

Digitized by Google

ris Bavarique, & gregalium mens & ſcopus, ſicuti non tam ex ultimo ſuprà relato reſponſo, quàm ex alijs declarationibus & ex ipsâ experientiâ perſpicitur.

Tertiò, Imperator offert Se juxtà ac conventum fuerit, Inveſtituram impertiturum. Iam verò ſciendum hanc Inveſtituram reſtringi ad eam duntaxat partem, quæ promittitur reſtituenda, ſicut *Rodoldus* Imperatoris in Angliam miſſus Internuncius, clarè declaravit: non autem extendi ad totum Palatinatum & annexum Archidapiferiæ officium. Talem autem limitatam ad unam partē reſtrictam Inveſtituram, Princeps Elector ſine magno ſuo præjudicio accipere non poteſt, quia eo facto excluderetur & præteriretur in generali, principali, ſimultaneâ & toti

generi maſculinæ ſtirpis debitâ Inveſtiturâ, de omni Palatinatu cum cohærente dignitate & pertinentijs; Vnius autem incluſio eſt alterius excluſio. c. nonne, De præſumt. Qui in hâc communi Inveſtiturâ non comprehenditur expreſſè, non poteſt ullum jus poſtea prætendere ad ſucceſsionem & adeptionem Palatinatûs & muneris Electoralis. Nullus eſt Comitum Palatinorum, quin in iſtâ Inveſtiturâ fundet jus & ſpem ſuam ad Palatinatûs & dignitatis colligatæ ſucceſsionem. Inveſtitura enim tribuit jus, cauſam, actionem, ſpem & prætenſionem ſucceſsionis in feudis, c. 1. Quib. modis feudum conſt. poſs. c. 1. in princip. de ſucceſsion. Fratrum. c. 1. in fine, de feudo cognat. c. ſi facta. ſi de feudo defuncti controverſia ſit inter Dominum & Agnatos Vaſalli. Inveſtitura eſt quædam in poſſeſsionem miſsio, Myſing. cons. 64 n. 10. & vim contractûs habet, imò

con-

Digitized by Google

contractus eſt, Menoch.conſ.101.n.28.conſ.103.n.53 & ex illa filij & Agnati jus & ſpem habent acquiſitam, quæ illis citra ſuum factum poſtmodum auferri non poteſt, ut ait Weſenbecius, conſ.41.n.103.in fine. Præterea in antiquis feudis jus confirmat, etiamſi alius incumbat injuſtæ poſſeſſioni; Vlricus Zaſius conſ.1.lib.1.n.24. Tiraquell.in tractatu le mort ſaiſit le vif.declarat.7.poſt.5.n.15.& 16.Weſenb.conſil.1.Vol.1.n.49. ita citat Nicolaus Burgundus in libro de Electoratu Bavarico. Intereſt igitur Principis Electoris, ut cautè & circumſpectè in hoc agat, operam dando ut Inveſtituram, hoc eſt, renovationem antiquæ & in Domo Palatina uſitatæ communis Inveſtituræ, pro ſe tanquam capite familiæ, próque fratribus & Agnatis ſuis obtineat, nequaquam permittendo, ut vel ea omittatur, vel ipſe & cæteri inveſtiendi prætereantur.

 Quar-

Digitized by Google

Quartò, Imperator offert, ſe, cùm ad tractatus ventum fuerit, quoad dignitatem Electoralem & reliqua petita, eum ſervaturum modum, ut in iis, quæ æquis conditionibus concedi poterunt, habeat cùm Sereniſsimus Rex unde ſtudium & benevolentiam Cæſareæ ſuæ Maieſtatis, in ſe, tum quoque Comes Palatinus propenſam in ſe gratiam poſsit cognoſcere. At animadvertendum eſt, hanc Cæſaris ὑπόσχεσιν per bina ultima eiusdem reſponſa cancellatam & abrogatam eſſe. In his enim clarè dicitur, diſpoſitiones Cæſaris de dignitate & ditionibus Palatinicis Electoralibus per nuperam Pacem Pragenſem confirmatas, ac conſequenter nunc ab univerſis Imperii ordinibus comprobatas

Digitized by Google

batas eſſe. At enim per iſtas diſpoſitiones, quas perpetuò vigere debere in tabulis illius pacis cavetur, omnes ſpes conſequendi unquam Electoratum & annexas provincias, liberis Regis *Friderici* aufertur & præſcinditur: dum ibidem planè refertur per eas, non ſolùm Duci Bavariæ, ſed etiam Lineæ Gulielmianæ, hoc eſt, illius Patris ſtirpi, è quâ quinque maſculi hodie exſtant, in perpetuum collatum & traditum eſſe Electoratum.

Quod idem appertiùs & enucleatiùs in altero ultimo reſponſo enunciatur, dum ibi apertiſsimè Cæſarea Maieſtas confitetur & indicat, Se non tantùm Duci Bavariæ, ſed etiam Lineæ Gulielmicæ, tam dignitatem Electoralem, quàm ſuperiorem Palatinum hæredita-

Digitized by Google

rio iure conceſsiſſe, ac propterea nullum prorſus de eorundem reſtitutione colloquium quamdiu Linea illa ſuperſtes fuerit, admitti poſſe. Reciſam igitur ab omni parte, & ab ipsâ ſtirpe ſpem conſequendi Electoralem dignitatem & ſuperiorem Palatinatum, ex his apparet luculenter: Quâ nunc fiduciâ, quo ſundamento, quo colore, colloquium de reſtitutione Palatinatûs continuari poteſt: Significatum quidẽ poſtea fuit, quod conſilio, cum excelſo Collegio Electorali, & quorum interſit, habito; media quædam ſeſe aperuerint, ex quibus ſpes effulgeat, poſſe difficultatem, quoad dignitatem Electoralem, ſtante etiam Lineâ Gulielmianâ Bavaricâ ſuperari ac Sereniſsimo Magnæ Britanniæ Regi, amplio-
rem

rem aliquam ſatisfactionem dari. Sed quem in finem iſta excogitata & inventa ſint, nemo non, qui ratione uti voluërit, animadvertit. Nullâ enim probabili ratione nituntur, ſed eò tendunt, ut Regem Britanniæ & omnes eos, quorum cauſæ Palatinæ intereſt, vanis & inanibus colloquijs teneant impeditos & illaqueatos, ne ad arma conclament & occaſiones circumſpiciant, neque Gallis, Suecis, & alijs Auſtriacorum hoſtibus, ſeſe conſocient. Uſitatæ hæ ſunt artes in Cæſaris & Hiſpani Curijs, ſicut compluribus exemplis comprobari poſſet. Illorum ſanè Miniſtri eas tam perfectè edocti ſunt, ut meritò magnorum Politicorum nomen & famam inter mortales acquiſiverint, εἰς μεγίστα ἀρετῆς δεινότητος τὸ ψεύσασθαι τιθέμενοι.

Sed quod, amabò, medium repe-
riri poteſt, ut hinc juri & prætenſioni
juſtiſsimæ Caroli Ludovici Ele-
ctoris, & hujus Fratrum Agnato-
rumq́; : iſtinc ambitioni & cupiditati
inſatiabili Bavaricæ ſatisfiat? Opor-
tet ut alteruter tantùm Elector ſit, &
locum Electoris poſsideat: duo in u-
no ſubſellio cōſidere non poſſunt, nec
unius hominis defungi munere; unâ
linguâ loqui, unum ſuffragium ferre.
Formam Reipublicæ Germanicæ
Septem Electores, tanquam ſeptem
fulcra conſtituunt: ſi vel plures, vel
pauciores ſint, harmonia & moles
illius ædificij corruat, neceſſe eſt. Au-
rea Bulla, quæ lex eſt Regia funda-
mentalis, & ſanctio pragmatica, ſep-
tem duntaxat admittit, & unicuique
ſuum officium, ſuum Principatum &
potentiam, cui connexus eſt Electo-
ratus,

ratus, aſsignat & addicit: hinc etiam ſeptem candelabra nominat, quorum numerus neque augeri neque minui poſsit, citra corporis Reipublicæ con-convulſionem & everſionem. Si plures forent, novem nimirùm, vel undecim, (numerus enim inæqualis eſſe ipſâ naturâ debet, ne ſuffragia ſint paria, quæ res diviſionem ac ſciſsionem in Electione Regis adferret,) quænam ipſis ſedes, officia & munera tantæ dignitati condecentia attribui, quæ terræ & provinciæ ad conſtituendum Electoratum aſsignari poſſunt? Aureæ Bullæ autoritas tanta eſt, ut mutari & violari ab Imperatore ne cum Electorum conſenſu poſsit; niſi is velit everſis legibus, hoc eſt, fundamento, ipſam Reipublicæ conſtitutionem & ſummam convellere & pervertere.

Digitized by Google

Quod ſi contingeret, ut novem Electores crearentur, quomodo unicuique ſuus ordo & gradus aſcribi poterit? Palatinus quidem è loco & ſede ſuâ, hoc eſt, ex jure & poſſeſsione, tot ætatum uſu, & legibus fundamentalibus, tot Imperatorũ Ordinumq; omnium conſenſu confirmatâ, ſe dejici & deturbari haud permittet, : quia id ſine honoris & conſcientiæ ſuæ læſione, citráque ignominiam & injuriam totius ſuæ gentis, facere nequiret. Confiteretur enim, & ſuâ patientiâ & exemplo palam faceret, ſe non injuſtè jure ſuo veteri & acquiſito & prærogativâ inter Electores ſibi ab antiquo competente, privatum eſſe, & gratiæ magnæ loco reputare, quod novus homo & precarius Elector factus eſſet. Cum minore dedecore & probro renunciaret δι' ὅλȣ Electoratui,

tui, quàm in ejuſmodi turpem primi gradus & ordinis in infimum commutationem, quæ fatuæ & puſillanimæ ambitionis ſignum foret, conſentiret. Bavarus quoq; nequaquam ſe removeri patietur è ſede illâ, in quam cum tantâ támque indomitâ aviditate & furore atque impetu, cum tanto labore & ſudore, cum tantâ denique ſanguinis effuſione & longâ armorum continuatione irrupit, quámque arripuit & ſuæ genti intulit. Licet novus inter Electores homo meliori quàm ullus alius jure æſtimari, ac proinde poſtremo adſidere debeat loco; attamen tante ambitionis eſt, támque elatum & contumacem generoſi animi ſpiritum gerit, ut de principatu cum prioribus & Se multùm vetuſtioribus Electoribus, imò & ipſo

 Impe-

Imperatore, ſummâ contentione diſputare non addubitet, ſicut ſuperioribus annis experientia docuit, quando Cæſarem in Conventu Ratisbonenſi in ordinem & eò redegit, ut *Wallenſteinium* exauctorare & reliqua omnia, quæ ipſe tum ſoiſceret, approbare cogeretur. Diu antequam Bavarus inter Electores à Cæſare referretur, tempore etiam Imperatoris *Rudolphi* & *Matthiæ*, Archiducibus Auſtriæ queſtionem de primo & digniore loco movit, titulum etiam Serenitatis non minus atq; Auſtriaci affectavit, & *Ferdinandum*, qui ipſius ope indigebat, tandem eò compulit, ut iſtum titulum ſibi daret, antequam & factus eſſet novus Septemvir. Verum quidem eſt quod ab omni ætate Duces Bavariæ, rerum potientes & familiæ capita, difficultatem fecerint

Archi-

Digitized by Google

Archiducibus Auſtriæ, ſi non aliâ, Regiâ nimirum, vel Imperatoriâ dignitate fuiſſent adornati, in Imperii conventibus & Comitijs loco & gradu cedere; quia ſe vetuſtiores Duces eſſe dicebant, nec Imperatoribus ex Auſtriacis oriundis ſuos fas fuiſſe poſteros Bavaræ genti, quæ jus principis ſubſellij jam dudum haberet, præferendi, creando eos Archiduces; quia etiam Bavariæ Dux, tanquam dignior, primo loco, in latere, ubi Principes ſæculares conſident, aſsideret, horùmque nomine, decreta & leges in Comitiis ab ordinibus rogatas & comprobatas ſubſcriberet & conſignaret: Auſtriaci verò, qui poſt Bavarum ſe collocari non ſuſtinuerunt, è latere hominum Eccleſiaſticorum, Præſulum & Infulatorum aſsiderent. Veruntamen nullus Bavarorum, cum tantâ

tantâ contentione & ambitione felicioriqueque cum ſucceſſu, quàm hic modernus Dux, præcæteris antiqui in familiâ ſuâ conſervandi ſplendoris & dignationis ſtudioſus, controverſiam illam movit & pervicit.

Sed ajunt veriſimile & ſpem eſſe Bavaros eò adduci poſſe, ut in pactum alternationis conſentiant, hoc modo, ut poſt mortem Maximiliani Bavari rerum nunc potientis, Electoria dignitas & functio inter huius & Regis Friderici Palatini primogenitos filios & Nepotes, alternis exerceatur & poſſideatur vicibus: alterutrius poſteritate deficiente, ſuperſtiti Electoratus totus διαμπερὲς in ſolidum, velut iure accreſcendi, relinquatur. Sed campæ & logi hi ſunt, qui nullo fundamento conſiſtunt; & ad circumveniẽdum & illaqueandum credulorum animos inventi ſunt.

Tantum

Tantum enim abeſt ut Bavari, hoc rerum ſtatu, quo prædominantur & res ſuas conſtabilitas habent, ſimúlque potentiâ, autoritate & gratiâ in Imperio prævalent, in talem pactionem ſint conſenſuri; ut etiam connivere & permittere nolint, ut Controverſia de Electoratu vel ſeponatur, vel in ſuſpenſo relinquatur, reſervato unicuique parti jure ſuo, vel ad colloquium, vel ad judicem competentem remittatur: ſicut id palam & cum magnâ contentione, tum aliis, tum nuperrimè in Conventu Ratisbonæ habito, publicè declarârunt & edixerunt; ideoque etiam Imperatorem eò adegerunt, obſtinaciſsimè pertendentes, ut Palatini ſtirpis Rupertianæ tam diu, donec Bavarica Gulielmiana ſuperſtes & in vivis eſſet, à ſpe & conſecutione Electoratûs maneant excluſi, neque Illis permittatur, litem de eo his

movere: ſed cogendos eſſe, ut prætenſionibus ſuis renuncient, ſimulq́; caveant, ſe nihil illius causâ in Imperio deinceps moturos: ni faciant, neq́; Germaniæ, neq; Bavaris de pace & ſecuritate proſpectum fore. Si enim Palatinis, inquiunt, jus ſuum repoſcendi facultas & ius datur, Eos, ſi præſertim occaſiones & adminicula, quæ reſtituti ad Ditiones facilè conſecuturi & circumſpecturi ſint, faverint, minimè quieturos, donec Bavaros iterum ab Electoratu depulerintſi: cut filij & Nepotes *Rudolphi* fecerint, qui Papienſi transactione, & pacto, alternis vicibus exercendi munus Electorale, rupto, liberos & poſteros *Ludovici* Bavari Imperatoris, poſſeſsione ſuâ per vim & dolum exturbârint. Neceſsè igitur, ut ante omnia, & priuſquàm Palatini in Imperium admittantur,

tantur, & ad Principatum reſtituantur, hæc quæſtio abſolutè determinetur aut tranſigatur; aliàs fomitem & materiem fore novarum turbarum & belli, atque iſtâ ratione Imperium & Rempublicam nullâ ſecurâ, ſtabili & firmâ pace fruiturum, ſed in continuo metu verſatutum. Hæc illi ex animi ſui Sententiâ proferunt & ſtatuunt, quibus id quòque deliberatum à principio, decretúmque fuit. Atque hinc factum, ut non tantùm in tabulas Pragenſes inter conditiones facilè illius pacis, perpetuam ſtirpis Bavaricæ in Septemviratu ſucceſſionem, & Palatinæ gentis excluſionem inſeri vaferrimè & per comminationes atque perſuaſiones procurârint; Sed etiam Imperatorem importunitate ſuâ compulerint, ut Spem conſequendi

Electoratûs & ſuperioris Palatinatûs omnem Palatinis præciderit, edicendo & reſcribendo confidenter & abſolutè, ſe non poſſe permittere, ut de illorum reſtitutione poſtulatio fiat, aut colloquium vel conventio, quamdiu ſoboles maſcula è ſtirpe *Gulielmi* Bavari ſuperſit, inſtituatur, ſicut ſuprà audivimus. Age verò, dicant & fidem faciãt ſe conſenſuros in ejuſmodi alternationis, ſeu per vices ſucceſsionis conventionẽ: num fas & jus eſt, ut *Carolus Ludovicus* naſcendi & proprio & primogenituræ jure, atq; per legem & majorum proviſionẽ & traditionem Elector natus, cæteriq; ejus Fratres & Agnati, quibus jus acquiſitum eſt, in illam Sibi ſuæq; genti probrum inferentẽ, imminutionemq; veteris juris & prærogativæ afferentem, conditionẽ, conſentiat? Quã fide,

quâ

quâ fronte, quo prætextu cogi poterit, ut jus & poſſeſsionem Suam, tot ſæculorum lapſu, tot Imperatorum confirmatione, totius denique orbis & omnium ordinum, qui à primâ inde conſtitutæ Reipublicæ ætate vixerunt, approbatione conſtabilitam & corroboratam, in gratiam ingratiſsimorum & infeſtiſsimorum gentilium, labefactet, diminuat & diſcerpat. Quis ſuſtineat, quis non ſtomacharetur & diras funderet, ſi Palatinos Principes, quibus legum patriarum & inſtitutorum priſcorũ protectio & cõſervatio tantæ curæ fuit, qui pro libertate, qui pro Aureæ Bullæ, aliarúmq; conſtitutionum & ſanctionum fundamentalium tuitione, nullum diſcrimẽ nullum vitæ periculũ adire dubitârũt, ea tam turpiter, tam temerè violare videre: Nõne alternationis pactũ, quod

Bavari

Bavari etiam ante tria ſæcula introducere & invehere præſumebant, per Auream Bullam *Caroli* IV, per ſubſequentium Imperatorum confirmationem, per inviolabilem tot annorum conſuetudinem ſublatum eſt, tanquam res mali exempli, quæ ad Imperii exitium & ruinam ſpectaret, diſcordiam & diviſionem inter Ordines aleret, foméſque eſſet perpetuarum turbarum & motuum?

Atque ex his, quæ tamen primoribus tantùm labris delibantur, apparet, quid de medijs illis, ad ſuperandam difficultatem de Electoralis dignitatis reſtitutione propoſitis, ſit judicandum. Sive enim per alternas ſucceſsio & functio vices proponatur, ſive de duobus novis ſeptem antiquis adjungendis Viris conſilium

ſilium detur: utrumq; ἀμήχανον καὶ ἀνένδεκτόν ἐστι, quòd neque ullâ cum ratione, ſecuritate, utilitate ad effectum perduci poteſt. Dicant igitur, promittant, offerant quicquid velint, iurent quantum velint, indubium & exploratum eſt Cæſarem, Bavaros & ſocios nunquam recepturos in priſtinum dignitatis & fortunarum ſtatum vel *Carolum Ludovicum* Electorem, vel ejus Fratres & Agnatos, neque permiſſuros, ut ad aliquam, quæ ipſis formidabilis ſit, potentiam perveniant, ne captatâ occaſione, eâ ad vindictam & ad adempta recuperanda, accitis undique auxiliis, utantur. Breviter, omnem operam & oleum perditum iri planum & manifeſtum eſt, ſi hâc rerum tempeſtate, & quamdiu Bavarus ſuperſtes

&

Digitized by Google

& toto caput orbe ſecundum, eſt, per amica colloquia exeffici poſſe ſperatur, ut ſub æquis conditionibus, Palatinatus Electoralis integrè cum dignitate & purpurâ Septemvirali reſtituatur. Aliam conſiliorum oram inveniendum, aliâ viâ incedendum, aliam temporum inclinationem expectandum eſt, ut obſtinati & ſucceſſu rerum elati, longáque felicitate efferati, & inveteratâ potentiâ inſolentes animi, ad ſui agnitionem redi-tes animi, ad ſui agnitionem rediganturtur, & ad moderata conſilia flectantur.

Atque hæc ſunt quæ à Cæſare offeruntur & pro ſingulari Cæſareâ gratiâ & beneficio æſtimari jubentur, quæque arctiorem Regis cum Domo Auſtriacâ conjunctionem & fœdus; aliáque officia promereri dicuntur: Iam conſiderandum, ſub

quibus

quibus conditionibus hæc gratia, ex quâ Sereniſsimus Rex benevolentiam & propenſionem erga Se Cæſaris, & ejuſdem clementiam erga Nepotes ſuos deprehendere debet, concedatur.

Conditiones verò expreſſè præſcribuntur, *omnes autem*, etiam eæ, de quibus tractandum adhuc eſt, *ſub conditionem fœderis ineundi compinguntur*, ſicut ait reſponſum.

Prima autem Conditio, vult ut Comes Palatinus convenienter Seſe coram Sacrâ Cæſareâ Majeſtate humiliando & ſubmittendo reconciliationis Suæ beneficium demiſſè petat. Hic jubetur Elector Semetipſum reum ſiſtere & profiteri, ac facto ſuo palam declarare, Se non eſſe innocentem, ſed Cæſarem

offendiſſe, cui reconciliari debeat. Reconciliatio præſupponit offenſionem. In quo autem Cæſarem unquam offendit? num quia natus eſt in hanc lucem? num quia vivit? num quia minorennis fuit, & neminem per ætatem lædere potuit? num quia ex antiquâ & Reginâ Palatinorum ſtirpe ortus, & ex Matre Reginâ natus? num quia Patrem habuit, qui in Regem Bohemiæ electus fuit? num quia Lugduni Batavorum & apud Lucenſes educatus eſt, & literis boniſq; diſciplinis operam dedit? num quia quievit & ab armis abſtinuit? num quia Regis Avunculi conſilijs obſecutus in partibus non fuit? num quia Inveſtituram & reſtitutionem ſuam humiliter & demiſſè à Cæſare petijt? num quia huic omnem obſervantiam & obſequium exhibuit? num quia Rex Avun-

Avunculus ejus causâ ad Cæſarem & Electores Legatum miſit? num quia ex filiâ Nepos eſt Regis Iacobi, & ex Sorore Nepos Regis Caroli, & Pronepos Regis Daniæ, & Cognatus Regis Galliæ? Oportet ut tale aliquid ſit, quod offenſionem dederit. Sed cur non exprimitur delictum, & cauſa offenſionis, ob quam neceſſè habeat præſtare ejusmodi genus humiliationis & ſubmiſsionis, quod non ſolet exigi & præſtari niſi à delinquentibus & crimen agnoſcentibus? Cur nullo verbo indicatur quare Cæſar Illi iratus ſit, ut opus habeat ſupplex fieri, petendo cum tantâ humilitate ſuæ reconciliationis beneficium?

Secundò, tenetur facere renunciationem fœderum & pactorum

Digitized by Google

quorumcunque quæ vel Ipſe, vel Pater ejus cum quibuſcunque Regibus ac ſtatibus, tam internis, quàm externis Imperii fortè contraxit. Hic jubetur omnibus auxilijs & amicitijs in perpetuum valedicere, & in merâ gratiâ & in incertis illis atque ambiguis oblatis acquieſcere, & fundamentum fortunæ & ſpei ſuæ collocare. Hoc facto, non ſolùm meliores ſuos amicos & neceſſarios, qui Eum, ejus Patrem, Matrem, Fratres & Sorores exules hoſpitio exceperunt, & hactenus velut in aſylo tutati, nullóque non genere beneficii & officii cumulârunt, offenderet, & ſummè erga Eos ingratus foret; ſed etiam Ipſi ſibi facultatem & libertatem ullas in poſterum amicitias & fœdera circumſpiciendi & contrahendi, commerciúmve &

neceſ-

Digitized by Google

neceſsitudinem cum quo velit colendi, præriperet. Certa relinquere cum ignominiâ & conſcientiæ fideiq́; læſione; & ad incerta, captioſa & probroſa cum exitio & dedecore animum advertere, non eſt tutum neque conſultum. Quàm miſera eſſet conditio, non dicam Principis, ſed hominis proletarij, qui ſe ad tam durum & iniquum pactum adſtringi pateretur, & ſibi ipſemet omnem ſpem utendarum occaſionum & amicitiarum præcluderet? Nullum exemplum reperitur, qno ab aliquo Principum Germaniæ recepto in gratiam, tam generalis, abſoluta, atque indiſtincta omnium fœderum & pactorum renunciatio, flagitata fuerit.

Tertiò, ſatisfaciendum eſt etiam alijs, de quibus in futuro tra-

ctatu, quoad fœdus cum Cæſareâ Majeſtate, Rege Hiſpaniæ, & totâ Domo Auſtriacâ ineundum, ſtatuendum erit. Hinc colligitur alias adhuc conditiones ab Electore exactum eiq; præſcriptum iri. Illis omnibus priùs reâpſe ſatisfaciendum, & fœdus cum totâ Domo Auſtriacâ, ex arbitrio & voluntate Cæſaris & Hiſpani, à *Rege Britanniarum* percutiendum, multáq; alia officia, commoda & adminicula condicenda; tum demum Imperator oblata ſua ſe ad impleturum ſpem dat.

Atq; hæc ſunt, quæ Cæſar offert & conditiones, ſub quibus offert. Si nunc oblata per ſeipſa & in ſuâ naturâ, ſine conditionibus annexis, conſiderantur, ejuſmodi ſunt, ut non tantùm nullum honorem, utilitatem ac be-

beneficium, ſed potiùs ignominiam, incōmodum & præjudicium afferant accipienti & conſentienti. Indigna etiam ſunt magnitudine Cæſareæ Majeſtatis tam parva cum tantâ exaggeratione & velut exprobratione, καὶ ἑκουσίως καὶ χαλεπῶς offerentis. Præterea, infra dignitatem ſunt *Regis* poſtulantis & alia promeriti, cui dedecori foret, ſi tot ejus interceſsiones & Legationes, ſi tot magnorum operum impenſæ, ſi ingenti Auſtriacis exhibita beneficia, ſi ejus amicitia & conſœderatio, ſi moderatio, quam Ipſe & *Rex Pater* in favorem Cæſaris & Domûs Auſtriacæ, in his motibus teſtati fuerunt, ſi continentia illa emolumenta, quæ Hiſpani ex Angliâ conſequuntur, nihil ampliùs procurare, impetrare & promereri potuiſſent, quàm particulam aliquam non contemnen-

dam

dam Palatinatûs. Oportet ut homines iſti, vel admodum parvi faciant merita, confœderationem, ſocietatem & coniunctionem *Regis*, ſi putent compenſandam portione aliquâ exhauſti & ad internecionem redacti Palatinatuûs: vel portionem, illam & gratiam Cæſaream tanti æſtiment, ut tam potentis Regis amicitia & conjunctio illi minimè ſit vel æquanda, vel præferenda. Totus Palatinatus cum dignitate Electorali cunctiſque proventibus, præſertim qualis hodie ejus facies eſt, quæ nihil ſani, nihil ſolidi habet, non tantæ utilitatis eſſe poteſt, vel Regi, vel Electori ejus Nepoti, quantæ eſt hoc tempore Auſtriacis, vel ſola & ſimplex amicitia Regis quieſcentis & medium Se gerentis. Quemadmodum nullius hodie in orbe terrarum Regis, Principis, & Imperii

perii potentia, cum illâ quâ Glorioſiſsimus Magnæ Britanniæ Rex hoc tempore præpollet & antiſtat, comparanda venit: Ita nulla etiam eſt, quæ Auſtriacis & Hiſpanis formidabilior & magis metuenda, atque æquè fatalis ſit, quàm iſta. Ab omni ævo Reges Angliæ præpotentes & timendi fuerunt, propter commoditatem ſitûs Inſulæ, & dominatum maris: ſed nullus eorum ad tantum potentiæ faſtigium pervenit, ad quod Rex Carolus aſcendit: Qui ſub uno ſpiritu tria potentiſsima, florentiſsima, populoſiſſima, & omnibus ad togam & ſagum rebus neceſſariis affluētiſsima, & quod caput eſt, binis maximis acceſſu difficilimis Inſulis incluſa regna continet & regit. Qui invictâ & perpetuâ claſſe Oceano dominatur, & firmiſsimis præſidijs maria tenet, & pro arbitratu

Q ſicut

ſicut juſtum, æquum & neceſſe arbitratur, vel claudit, vel aperit: qui certos annuos & perennes proventus & ſubſidia ad claſſem ſuſtentandam & novis ſubinde ſupplementis reficiendam aſsignavit: ad cujus nutum & voluntatem, ſi imperare & uti voluërit, paratum & promptum eſt, quicquid navium in Oceano Germanico, in utroq; mari Balthico, in Daniâ, apud Batavos & Suecos velificatur. Qui pace altiſsimâ fruitur; qui numeroſâ prole circumcinctus, pluribus munimentis inſiſtit; qui populo obedientiſsimo & imperata lubenti animo facere adſueto; qui genti bellicoſiſsimæ, ad arma terrâ mariq; tractanda fortiſsimæ, imperat; qui aliquot myriadas peritiſsimorum nautarum & exercitatiſsimorum epibatarum in procinctu habet; qui nullo metu aut

ſuſ-

Digitized by Google

ſuſpicione ſeditionis, contumaciæ vel inobedientiæ impeditur, neque in ſuo propoſito & conſilijs turbatur. Qui tutò & cum magno ſuo commodo hoſtes ſuos invadere; impunè verò invadi non poteſt: bellum cum utilitate & ſine diſcrimine ducere & inferre, Sibi ab alio illatum in exortu ſuo & antequam ad ſe perveniat, occupare & opprimere. Sed ſicut pactorum obſervantiſſimus, & pacis ſtudioſiſſimus, & juſtitiæ atque æquitatis cultor maximus eſt: ita alienum non appetit, neminem temerè laceſsit, ſed ſuum tantùm conſervare & tueri ſatagit. Tanta enim eſt iſtius Monarchæ & pietas, & juſtitia, & fides, (has enim virtutes, quæ throni Regij fulcra ſunt, inter cæteras, proprias & animo inſitas habet) ut pacta, & conventa, & fœdera ſeu pacis, ſeu commer-

merciorum ſecum inita, ſartè, tectè, atque inviolabiliter omnibus ſervet, ad arma non ex utilitate & per impetum, ſed cum neceſsitate & cum maturo apparatu conſurgit, antè ſecuritati & ſaluti populi ſui, quàm privatæ vel vindictæ, vel cupiditati conſulat.

Quòd Hiſpani Flandriâ & Belgio adhuc potiuntur, quòd littora & ſinus & portus ſuos ingredi & egredi poſſunt, quòd diſsita & remota ſua Regna commercio miſcere & jungere, quòd pecuniam ad alendum exercitum collybo mittere, quòd tyronem & ſupplementum colligere & deducere queunt: id omne ſanè Regis Caroli beneficium eſt. Nam ſi Hic voluiſſet, eo tempore, quo Gallus & Batavi junctis viribus & copijs eos adorti ſunt, impreſsione in Flandriam

factâ,

factâ, vel parûm adſtipulari & ad communem prædam manus extendere: nemo dubitat, quin toto Belgio evoluti, & mari omni pulſi fuiſſent, ultra Pyrenæos montes, in ſolitudines & veteres ſuas caſas retrocedere coacti.

Vel hinc apparet, quàm neceſſe & utile ſit Hiſpanis & Auſtriacis, habere amicum, vel ſaltem non hoſtem, ſed medium pacis & belli, tam potentem θαλαττοκράτωρα: Sedulò igitur cavere deberent, ne Eum à ſe abalienent, ad iram provocent, offendant, & adverſus ſe irritent. Si enim inimicum & hoſtem haberent, ne mediusfidius in ordinem ſtatim redigerentur, à deprædatione & conquiſitione aliorum Regnorum & Imperiorum abſtinere, & propoſitum ſtabiliendæ per Europam dominationis omittere compulſi, vix benè tuti in

proprii laribus & Patriâ, neque ſatis ad ſua defendenda validi. Si Rex ſaltem impedire & prohibere vellet, ne maria frequentarent, negociationes & navigationes exercerent, res ipſorum confeſtim in arctum irent. Poſſet enim eos, ſi aggredi juſtum cenſeret, brevi temporis ſpatio & intra annum toto Oceano pellere, inſtar Pompeii Magni, qui Piratas mari intra triennium per totum Imperium Romanum ejecit. Hæc ſi quis perpendat, ſatis cauſæ habebit, ut Auſtriacorum & Hiſpanorum ſive imprudentiam, ſive obſtinationem, ſive arrogantiam deteſtetur, quòd tam potentis Regis, cujus quies ſalutem & ſecuritatem ipſis præſtat, æquis & juſtis, in cauſâ Palatinâ, poſtulatis non modò non ſatisfaciant; ſed etiam impediant, ne illius Nepotes in priſtinum dignitatis & fortunæ ſtatum

Digitized by Google

tum reſtituantur. Sciant verò in heroïcis naturis iracundias, ſicut ab initio tardas & lentas, ita acres & vehementes eſſe, ſi nimiùm provocatæ vero ſeſe impetu commoverint. Philip. & Peucer. in Chronic. Carion. Tandem aliquando juſta Nemeſis contra eos expergiſcetur & conſurget, ultionem & pœnas ab iſtis arrogantibus, innocentium oppreſſoribus, & Regnorum provinciarumque prædonibus repoſcitura.

Ταῖς αὐταῖς τέχναις τὶς ἁλώσεται ὥσπερ ὑπῆρξεν.

Iam ſi oblata Cæſaris in veſte illâ conditionum annexarum adſpiciuntur, adhuc deteriora, viliora, & probroſa magis æſtimanda ſunt. Quæ verò hæc eſt gratia, ſi oneri & ignominiæ eſt, & præterea tam carè luenda

&

Digitized by Google

& compenſanda? Quid multis? Nemo non videt hoc maximè agi, ut, tum Illuſtriſsima, libertatis & veterum inſtitutorum tenaciſsima, Domus Palatina, penitùs opprimatur & in perpetuo ſqualore maneat, ne unquam emergere poſsit; tum ejus Amici & defenſores circumducantur & frænentur, ne ad arma provocent & Se cum hoſtibus Auſtriacorum conjungant, occaſionibus & momentis temporum obſervatis.

Denique ſciendum, Cæſarem in hoc ultimo reſponſo ſuo, quod & in priori fecerat, requirere Legatum, ut ad particularia deſcendat, ac clariùs ſive ſcripto, ſeu, ſi placeat, quod Majeſtas Cæſarea convenientius exiſtimet, oretenus conferendo, cum Majeſtatis Suæ Cæſareæ Plenipotentiarijs explicet,

quid

Digitized by Google

quid Majeſtati Suæ Sereniſsimus Magnæ Britanniæ Rex, pro talibus oblatis vice verſâ offerat ac præſtare intendat, ut pari paſſu, prout moris, de utriuſque partis poſtulatis ac præſtandis tractetur, conveniatur & concludatur: quod ipſum Majeſtas Sacra Cæſarea rationi conſentaneum exiſtimet. Legatus autem in Propoſitione ſuâ, & poſtea declaraverat Regem ſuum, ſi in Ipſius gratiam reſtitutio, non quidem unius partis, ſed totius Palatinatûs cum Electoratu fieret, atq; eo modo fundamentum univerſalis pacis poneretur; tum fœdus cum Cæſare, Domo Auſtriacâ & Ordinibus Imperii, ad pacem illam ineundam, firmandam & defendendam percuſſurum. Luculenta ſanè & pulcherrima

ἀνταλλάξεις! Quis majus aliquid ſperare & expectare potuiſſet? Satis plus à Rege oblatum. Nec tamen eo Cæſareani & Hiſpani contenti fuére: volebant ut Orator proferret & ſingulatim indicaret, quibus cum pactis & conditionibus Rex Britanniarum fœdus cum Domo Auſtriacâ (de Imperio enim & Imperij Ordinibus nullam faciebant mentionem, neque multùm erant ſolliciti, quia ex tali pactione fœderis cum Ordinibus, Auſtriaci non multum utilitatis fuiſſent conſecuturi.) percutere, quidve quantumve auxilij, vel armorum, vel nummorum, vel navium præſtare & ſtipulari intenderet. Sed Legatus, ſicut Vir prudens & circumſpectus, nequaquam æquum, juſtum & honeſtum arbitrabatur, ulteriùs καὶ πρὸς τὰ ἐπὶ μέρος, progredi, antequam Imperator

perator propiùs ad ipſius poſtulata accederet, & liquidò declararet, an in petitam integram reſtitutionem conſentire, vel ſaltem quamnam partem, & cum quibus pactis eam reſtituere decreviſſet, ſpe & promiſſione additâ, fore ut brevi cætera quòque reſtituantur.

Quæ nomine Regis oblata & condita, ea non modò honeſta & præclara, & tam magnanimo publicæ concordiæ ſtudioſiſsimo Rege digna; ſed etiam toti Imperio ad conſtabiliendam pacem utiliſsima fuerunt, adhæc, ultrò, nullâ obligatione devinctus ad teſtificandam merè benevolentiam Suam, iſta obtulit: Illa vero à Cæſare velut obtruſa, incerta, vituperoſa, indigna & imperfecta ſunt, quæ minimè Regis poſtulatis, expectationi & meritis reſpondent, quæq; non

magni & liberalis, ſed duri & tenacis parumque benevoli animi indicia præbent. Vt taceamus Cæſarem, tum propter innocentiam Principum reſtituendorum, tum propter juſtitiam cauſæ, tum propter utilitatem publicam, ad longè plura, ad integram nempe & dignitatis Electoralis, & ditionum reſtitutionem obligatum fuiſſe.

Quòd ſi verò ad juſta & æqua, totiéſque iterata Legati petita aliquantùm propiùs acceſsiſſet, & de conditionibus illis ignominioſis, quas Electori præſcripſit, remiſiſſet; reſtitutionem honorificam, quæ citra præjudicium & cum ſecuritate accipi potuiſſet condicendo, ſimulque conditiones honorabiles & honeſtas, ſub quibus reſtitutionem facere vellet, indicando: tum cognito,

Digitized by Google

quantum Cæſaris gratia & collatio mereretur, Legatus quòque ad ulteriora deſcendere promptus fuiſſet. Verùm Cæſareani hoc agebant, ut voluĕrint priùs exploratum habere quid propriè & ſpeciatim ſibi à Rege promittere deberent, an, & quantum vel armorum, vel pecuniæ, vel navium is condiceret; & hoc eum in finem, ut, quando vidiſſent id non reſpondere & conducere multùm ſuīs rationibus, ipſis integrum fuiſſet retrocedere & Legatum re infectâ remittere.

Quæ de *diſpoſitionibus* per *pacem Pragenſem* confirmatis, & ab univerſis Imperii Ordinibus comprobatis objiciuntur, & ad Cæſaris in causâ Palatinâ Decreta excuſanda & ſtabilienda adducuntur, ſatis indicant,

 quid

quid circa reſtitutionem integram ditionum & dignitatis ſperandum ſit. Ex tabulis Pragenſibus liquidò apparet inter Bavarum & Cæſarem ſingulares & arcanas ſtipulationes interceſſiſſe, quarum vigore ditiones & dignitates Electorales, non modò Duci Bavariæ ad dies vitæ; ſed etiam univerſæ Lineæ Patris ejus Gulielmi, quam proinde Gulielmianam vocant, in perpetuum datæ & conceſſæ atque perſcriptæ ſunt. Hæc enim ibi ſanciuntur: Quantum ad cauſam Palatinam attinet, conventum ut ea, quæ Cæſarea Majeſtas tum de Electoratu & ditionibus, pro Sereniſsimo Duce Bavariæ & Lineâ Gulielmianâ quæque alio modo diſpoſuit: tum quæ de bonis quorundam Palatinorum Adminiſtrorum ordina-

Digitized by Google

dinavit, rata omni modo maneant; ſic tamen, ut Electoris quondam Friderici IV. Comitis Palatini ad Rhenum Viduæ, ſuo dotalitio, quantum ad Se pertinere liquidò docuerit, frui permittatur. Liberis verò Proſcripti, quando ſe coram Cæſareâ Majeſtate decenter humiliaverint, alimenta principalia ex Cæſareâ quidem gratiâ, non autem ex debito conſtituantur.

In diſſertatione de Septemviratu Palatino in Ducem Bavariæ optimo jure tranſlato ſæpiùs repetitur & affirmatur, Electoratum non ſolùm Duci Bavariæ, ſed etiam toti ſtirpi Bavaricæ datum, Ducemq; Neoburgicum & alios errare, qui putent Inveſtituram tantùm proviſionalem & ad dies vitæ factam eſſe. *Auguſtiſsimus Cæſar,*

Digitized by Google

Cæſar, ita ſcribit capit. 4. n. 124. *fulmen juſtiſſimum & meritiſsimum Banni proſcriptionis in perduellem Fridericum iecit, eúmque omnibus juribus, honoribus, bonis, & in ſpecie Electorali dignitate, cum ditionibus ipſi annexis excidiſſe declaravit. Deinde, dictum Electoratum ob feloniam Friderici commiſſam ad ſe devolutum eſſe, maturè & cum cauſæ cognitione, auditis ponderatiſque Ducis Neoburgici rationibus, prætenſionibus & argumentis judicavit. Demum, hunc ipſum Electoratum, unà cum juribus ipſi annexis, pari cum cauſæ cognitione, graviſsimis juſtiſsimiſque cauſis motus, & quidem cum Electorum Imperii approbatione & conſenſu, accedente etiam Summi Pontificis hortatu, in Sereniſsimum Maximilianum Bavariæ Ducem,* totámque familiam

Bavari-

Bavaricam, *Ducis Neoburgici reclamatione nil remorante, interveniente ſolemni, ſolitáque Inveſtiturâ, realiter & in perpetuum tranſtulit, prout ſua Electoralis Celſitudo, apprehensâ tam juris, vocis, dignitatis & poteſtatis Electoralis, quàm bonorum, ditionum, terrarum, Dominiorum aliorúmque annexorum poſſeſsione vel quaſi; in Inclytum Electorum Collegium admiſſa, fraternæ unioni aſsociata, & in omnibus officio, jure, munere ac dignitate Electoris Palatini hactenus publicè functa, cóque titulo tam à Sūmo Pontifice & Purpuratorū Collegio. quàm à Cæſareâ Majeſtate, Regibus Galliæ, Hiſpaniæ, Poloniæ, Daniæ, digna habita & honorata eſt. Quâ ergò fronte, fide & veritate Relator ſcribit, proviſionalem tantùm & certis conditionibus factam Sereniſsimo*

Digitized by Google

Duci Maximiliano, de Electorali dignitate ad dies vitæ uſurpandâ Inveſtituram? Calumniam hanc convincit Inveſtitura Cæſarea, quam etiam Relator, licet invitus, agnoſcere debet. Item fol. 115. cap. 5, n. 174. *Tranſtulit,* inquit, *Electoratum liberè, re tamen per duos & ampliùs annos maturè deliberatâ, conſilio cum Electoribus communicato, annuente, quinimò flagitante Summo Pontifice, inſtantibus & approbantibus Sacri Romani Imperii Principibus, quinetiam exteris Regibus & Ducibus, uno Duce Neoburgico excepto, hoc enixè poſtulantibus, omniúmque bonorum applauſu, in Sereniſsimum Bavariæ Ducem Maximilianum* & totam ſtirpem Bavaricam, *meritis Suæ Serenitatis univerſo Orbi notis, Agnatione & Iure ab antiquâ familiâ competente, aliiſque*

que graviſsimis cauſis, Cæſarem ad hoc impellentibus, prout latiùs patet ex diplomate & literis Inveſtituræ. Paulò pòſt. n. 175. nihil proviſoriè & ad dies vitæ conceſſum; nihil juris Duci Neoburgico reſervatum. & n. 182. Nam Electoratus Palatinus ex mero beneplacito & arbitratu Cæſaris, atque alijs maximis, juſtiſsimiſque de cauſis in Bavariæ Ducem & ejus inclytam familiam tranſcriptus fuit, nullâ ſumptuum bellicorum habitâ ratione aut mentione. & n. 184. re per biennium ac ampliùs penitiſsimè perſpectâ, expensâ deliberatâque in Bavariæ Ducem Maximilianum & ejus gentem transferre cœpit. n. 188. ut ita diſponente juſtitiâ, dignitas Electoralis iterum in eam familiam, cui ab antiquo debebatur, ſed contra jus, fas, & jurata pacta adempta fuit;

 poſt-

poſtliminiò reverteretur, n. 100. *De Electoratu Palatino, ob atrociſſimũ perduellionis crimen per Fridericum proſcriptum cõmiſſum, ad ſe liberè devoluto, atq; in Bavariæ Ducem* ejúſque familiam *juſtè ac legitimè tranſlato.*

Sed quid multis? Nonne ſupra ſatìs audivimus, Imperatorem non ampliùs diffiteri, ſed palam & publicè, toto Orbe terrarum audiente profiteri, ſe Septemviratum Palatinicum Duci Maximiliano & univerſæ Lineæ Bavaricæ dediſſe, contuliſſe & per Inveſtituram tradidiſſe? Id quidem non ita pridem in vulgus cognitum fuit: ante publicationem tabularum Pragenſium, nemo quicquam audivit, niſi fortè vel divinando, vel ſuſpicando, vel per conjecturas aliquid odoratus eſt. At hæc clanculum & ex compacto, tanquam in velabro,

labro, non auditis, non vocatis, indefenſis, & abſentibus ijs quorum intererat, ſine ſcitu & conſenſu præcipuorum Electorum & Ordinum, niſi quòd poſtea aliqui metu compulſi, ea non improbârint, contra leges, jura, & datam fidem inſtituta & acta ſunt, ſicut omnia alia in hoc negotio tranſlationis Electoralis officii.

Verùm, quomodo iſta conveniunt & quadrant cum iis, quæ Imperator & Dux Bavariæ tum Electoribus, tum Regi Iacobo in Conventu Ratisbonenſi, quando Maximilianum de Electoratu inveſtiit, religioſè ſacroſanctâ obſide fide cavit, aſſeveravit & promiſit, Se Electoralẽ dignitatẽ Bavaro cum certis cõditionibus, nimirũ, ſalvo jure prætendentiũ & non diutiùs, quàm in vivis eſſet trãſtuliſſe & cõceſsiſſe? Sic enim in *ſuá declaratione*

Electoribus in ſcripto xxiij Februarij CIↃ IↃC XXIII *edicit*: Inveſtituram factam citra præjudicium filiorum Comitis Palatini, tum fratris ejus, uti & Ducis Wolffgangi Wilhelmi Comitis Palatini, & aliorum agnatorum, adeoq; nulli omnino quicquam de jure ſuo eſſe detractum, verùm illud expreſſè reſervatum, quantò primùm ſive amicâ compoſitione, ſive jure decidendum: deciſione factâ quicquid adjudicatum illis fuerit, id ejſdem defuncto Maximiliano Duce Bavariæ, ſtatim tradendum & Inveſtituram ſuper id concedendam. Electores quòque Saxoniæ & Brandenburgicus Ducem Bavariæ, niſi ſub certis conditionibus & quamdiu is viveret agnoverunt, eo fatis functo jus illis quibus

quibus ante Palatini (ita verba ſonant) proſcriptionem & tranſlationem, dignitas Electoralis ob ſimultaneam Inveſtituram, atque adeò jure competebat, reſtitueretur. In literis ad Regem Iacobum v. Martij eodem anno, in hunc modum Cæſar ſcribit: Se ſuâ declaratione alterius cujuſcunque juribus vel in minimo derogare aut præjudicare, ita ad prætenſam ſucceſsionem in dignitatem & ditiones Electorales liberis gratiæ ſuæ Cæſareæ, tum Fratri Agnatiſque Palatini juſtitiæ fores patere velle: adhæc Inveſtituræ diplomati expreſſè inſertum fuiſſe, ut amicâ tractatione, vel ſi ea fruſtra ceciderit, ſummario proceſſu diſceptetur, quid ſucceſsionum jura prætendentibus Nepotibus Regis

ex

Digitized by Google

ex gratiâ,& quid Agnatis ex æquitate, in dignitate & privilegijs Electoralibus tribui poſsit: Ipſe etiã Bavarus cavit & ſub fide promiſit, ſub hâc conditione & non aliter ſe Electoratum poſſeſſurum, & poſt mortem ſuam ſtatim reſtituturũ ei, vel eis, quibus per compoſitionem, vel per ſententiam judicialem fuerit adjudicatus: Sicut pluribus continetur tum in diplomate Inveſtituræ, & in dicta Cæſaris declaratione & literis, tum in literis quòque Electoris Saxoniæ ad Moguntinum. 1. Martij CIↃ IↃC XXIV. Dreſdæ ſcriptis, & in Brandenburgici Electoris reſponſo, Legato Cæſaris Regiomontij in Boruſsia XII Maii. CIↃ IↃC XXVII dato. His cunctis violatis & ſpretis, dignitas Septemviralis cum regione, Lineæ Gulielmianæ, hoc eſt, omnibus Ducibus Bavariæ & horum liberis per ſecretas conventiones & ſtipulationes conceſſa & collata fuit.

In

Digitized by Google

In illo etiam decreto die XXIV *Februarij* anno ſuperiore, cui tamen Cæſar ſe conſtanter inhærere identidem affirmat, ſpem aliquam ad Electoralem dignitatem reliquit, dum ita reſcribit: ubi ad tractatus ventum fuerit, quoad dignitatem Electoralem & reliqua petita, eum ſervatura ſit modum, ut in ijs, quæ æquis conditionibus concedi poterunt, habeat cùm Sereniſsimus Magnæ Britanniæ Rex, unde ſtudium & benevolentiam in ſe Sacræ Cæſareæ Majeſtatis, tum ſæpedictus quoque Comes Palatinus propenſam in Se gratiam ejuſdem poſsit cognoſcere. Quod idem ijſdem repetiit verbis in reſpõſo ad diem XXX *Iunij* memorati anni Legato Britannico dato. At notandum hæc etiam diu poſt Pragenſem pactionẽ &

factam in Lineâ Gulielmianam tranſlationem, enunciata & prolata fuiſſe. Hinc nimirùm argumentum ſumere licet, quo cognoſcitur, quâ ratione inter aliquos Principes res interdum agantur; quomodò eos, quos ſecuros reddere volunt, tractent; quomodò ſimulent & aliud dicant, aliud agant & intendant, ut ad effectum ſuorum conſiliorum perveniant.

Quanto in pectore hanc rem meo magis voluto,
Tanto mihi ægritudo auctior eſt in animo:
Ad illum modum os ſublitum eſſe,

Vt cum Plauto loquar, omnibus non ſolùm Comitibus Palatinis, ſed etiam Ordinibus Imperii, & alijs, qui Palatinæ cauſæ adſtipulati ſunt, & ſibi perſuadebant pœnam & odia in Fridericum duntaxat, non in ejus liberos ſævitura, poſt Bavari mortem Electoratum ad Hos rediturum; inprimis verò ambobus Electoribus

Saxo-

Digitized by Google

Saxoniæ & Brandenburgi, qui tantum cavere volebant ne deciperentur, & tamen decepti fuerunt, vix caventes, etiam cùm maximè cavebant.

Sed quo fundamento, quâ fide, quâ conſcientiâ, quo jure, ejuſmodi clandeſtinæ & præjudiciabiles diſpoſitiones fieri potuerunt, inconſultis & inauditis iis, quorum interfuit? Quemadmodum verò, conceſsiones & diſpoſitiones nullæ & injuſtæ ſunt: ita confirmari per pactiones Pragenſes non potuerunt, neq; ab Ordinibus comprobari. Nullas autem eſſe & injuſtas ex eo apparet; Primò, quia inter Cæſarem & Bavarum clanculum initæ & contra Leges fundamentales Imperij pugnant. In Aureâ enim Bullâ, primâ & præcipuâ lege fundamentali, Cap. vii. & xx. & xxiv. & in

in alijs Conſtitutionibus expreſſè ſancitur, dignitatem, poteſtatem, jus, vocem, Vicariatum, officium & munus Septemviralis faſtigij cum Principatibus ac ditionibus, quarum virtute ſæculares Principes Electores jus, & votum in Electione Romani Regis in Cæſarem promovendi, obtinere noſcuntur, adeò eſſe conjuncta & perpetuis temporibus indiviſibiliter unita; ut aliquid præmiſſorum ab altero, cùm ſint & eſſe debeant inſeparabilia; nec dividi, vel ullo tempore debeat ſeparari, aut in judicio, vel extra diviſim repeti valeat, aut evinci, vel etiam per ſententiam ſeparari, nec aliquis unum ſine alio imperens audiatur. Quòd ſi per errorem, vel aliter quis auditus fuiſsit, aut proceſſus, judicium, ſententia vel aliquid

hujuſ-

Digitized by Google

hujuſmodi contra hanc diſpoſitionem emanâſſet, ſeu quomodo libet attentari contigiſſet; hoc totum, & omnia ex his, & quælibet eorum ſequentia, eo ipſo juribus non ſubſiſtere. Præterea, in capitulatione Regiâ, quæ ſecunda in Imperio Romano lex fundamentalis eſt, continens capitula & pacta, quæ Electores per formam contractûs cum Imperatore inierunt, ad quorum ſacro-ſanctam obſervationem hic ſolemni jurejurando conceptis verbis præſtito, ſe adſtrinxit; hæc inter alia Cæſar ſtipulatus eſt & ſpoſpondit: Se in rebus gravioribus Imperium concernentibus, Electorum ſententias & ſuffragia rogaturum & auſcultaturum, nihilque ſine prævio legitimo illorum ſcitu & conſenſu decreturum & ſtatuturum. Se

Digitized by Google

contra Auream Bullam & alias Imperii conſtitutiones & pactiones, nullum mandatum, reſcriptum, aut quippiam, quod gravamen inferre poſsit, editurum, nec eo uſurum, nec ut alius obtineat, aut illo utatur permiſſurum. Item, Si quam habeat actionem & controverſiam contra aliquem Ordinum, ſe legibus experturum, vim autem nullam adhibiturum, eis præſertim, qui ſe cognitioni legitimæ ſiſtere voluerint. Item, Se obſervaturum & impediturum, neque ullo modo & prætextu conceſſurum, ut aliquis ex Procerum ſtatuumq; numero, ſiue Elector, ſive Princeps, ſive alius ſine causâ inauditus proſcribatur, damnetur & in Bannum declaretur, ſed allaboraturum, ut

in

in hoc ſecundum ordinariam juris normam & Imperii conſtitutiones ex præſcripto reformatæ Ordinationis Cameræ procedatur. Clauſula in fine hæc additur: Si quid contra hoc, vel alia Capitulationis capita ſuſceptum & actum fuerit, illud omnino nullum, irritum & vanum eſſe debere.

Conſiderentur & inſpiciantur jam omnia, quæ hactenus in causâ Palatinâ, ab initio in hunc uſq; diem ex adverſo acta, quæq; imprimis de tranſlatione Electoratûs & diſtributione ac diviſione ditionum Palatinicarum, privatim & clam inſtituta & diſpoſita, deq; facto geſta ſunt, nonné ea cuncta & ſingula directè contraria Aureæ Bullæ, Capitulationis & legum claro præſcripto ſunt? Nonné Palatinatus

Ele-

Digitized by Google

Electoralis contra expreſſam prohibitionem diſcerptus, diviſus & diſtractus, major pars Bavaro cùm officio, alia Hiſpano, alia aliis data fuit? Ubi, & quando Electorales, cùm hæc fierent, convocati & congregati atque conſulti, & ſententias more Majorum rogati fuerunt? Nonne Saxo & Brandenburgicus Proſcriptioni Regis Friderici, tranſlationi Electoratûs in Bavarum, excluſioni liberorum & Agnatorum à jure ſuo, conſtanter & acerrimè ſeſe oppoſuerunt? Legantur ipſorum in Senatu Principum *Anno* CIↃ IↃC XXIII, *Menſe Februario lata ſuffragia*: Legantur ipſorum ad Imperatorem *diverſæ literæ*, & *data Legatis Cæſareis reſponſa*. Si jam taceant, metu & terrore atque vi compulſi id faciunt. Cùm extenſio tranſlationis Electoratûs in Lineam Gulielmianam

nam

nam Bavaricam fieret; Cùm diſpoſitiones iſtæ in abſtruſâ officinâ formarentur & cuderentur; Cùm pacificatio inter Cæſarem & Saxonem per Legatos Pragæ conſarcinaretur: ubi tum fuerunt cæteri Electores & Ordines? num intervenerunt, adfuerunt, ſententias ordine & ſecundum inſtituta majorum dixerunt? anteceſsit nè legitimus illorum conſenſus, ψηφοφορία & ſuffragatio? Num ij, qui privabantur Electoratu, jure & fortunis ſuis; Num alij, quorum intererat, citati, auditi, defenſi fuerunt? Num cauſa cognita & ſecundum jura præſcripta tantæ reï negotium definitum? Nihil quicquam tale cogitatum, nihil tale actum; ſed omnia ex arbitratu, ex affectu & odio, ex plenitudine poteſtatis, ex abſoluto decreto, neglectâ & rejectâ Electorum, Ordinum, & Parium non ſuſpectorum cognitione, contra jus, leges,

conſuetudines, contra ſanctiones pragmaticas, contra pacta & Capitulationes jurejurando firmatas, contra ſolitum & requiſitum procedendi ordinem, adverſus abſentes, inauditos, nullius criminis inſimulatos, ſed planè innocentes, non in publicâ hominum luce, ſed privatim in conciliabulo & in cõgreſſu arcano, acta, facta, dicta, ſcripta & peracta fuerunt.

Hinc Electores Saxoniæ & Brandenburgi meritò Cæſari velut exprobrando inculcârunt, in re tam gravi ponderoſâ & tanti momenti, utpote à quâ Sacri Romani Imperii vel incolumitas, vel exitium, experientiâ teſtante, dependeat, priùs conſulendos & audiendos fuiſſe, ſecundum Capitulationis præſcriptum, & hoc vel ideò maximè, quia de Electore membro Imperii quæſtio eſſet. Negotium concernere unum è numero Sep-

tem-

Digitized by Google

temvirorum, & dignitatem Electoralem, propterea cæteros Electores ab illius cognitione excludẽdos non fuiſſe. Satis notum eſſe, litem & controverſiam inter Dominum & Vaſallum, quando nimirum de privatione feudi agitur, ſecũdum jus commune feudale, per Pares Curiæ, qui comparis ſint dignitatis & nominis, decidendam & dijudicandam: hoc eò magis locum habere debere, cùm contra præpotentiores & illuſtriores aliquid decernendum ſit: ex Capitulationis diſpoſitione ſanè in conſilium adhibendos fuiſſe eos, qui Cæſareæ Majeſtatis intimi familiariſsimíque Conſiliarii, quiq; puniendo vel privando juribus ſuis, quoad ſtatum, dignitatem & fortunam pares & æquales ſint. Se palam & publicè conteſtari, proſcriptionem eiúſque executionem ſine ſuo conſilio & con-

ſenſu fuiſſe decretam & promulgatam: alium meritò procedendi modum hoc in negotio obſervandum fuiſſe; & in Capitulatione dictâ planiſsimè conſtitutum & ſancitum legitur, nullum Electorem, vel alium Imperij Principem poſſe ab Imperatore inauditum, abſque ordinario proceſſu & judicio proſcribi & in Bannum denunciari; ſe non videre quo iure & prætextu Electores à deliberatione & cognitione rei tanti momenti, in quâ univerſi Imperii tum ſalus, tum exitium verſetur, potuerint excludi. Et cum forma proceſſûs iudiciarii, etiam pars ſit iuſtitiæ; hæc verò meliori modo adminiſtrari nequeat, quàm ſecundum leges conventas & præſcriptas, operam neceſſariò dandam fuiſſe, ut Comes Palatinus, antequàm condemnaretur, convenienter ex præ-

ſcripto

Digitized by Google

ſcripto omnium iurium, & ſacræ Capitulationis audiretur, atq; ideo proceſſus ordinarius iuxta Cameræ Imperialis Ordinationem, & in eâ præſcriptam formam inſtitueretur. Porrò quàm plurimas etiam circumſtantias conſiderandas fuiſſe, antequàm ſententia Proſcriptionis debuiſſet promulgari: & hoc quidem eò magis, tum propter Comitis Palatini liberos, tum propter eiuſdem fratrem & proximiores Agnatos, qui omnes & ſinguli nullius adhuc criminis inſimulati, multò minùs conuicti ſint. Tranſlationem Electoratûs & connexarum ditionum rem nequaquam minoris eſſe momenti & præiudicii, quàm ipſam Proſcriptionem, ac propterea iure merito de eâ cum Electoribus, iuxta Capitulationis ſanctionem communicandum, & deliberandum, non autem poſt-

Digitized by Google

quam confecta ſit, nudam ſignificationem faciendam fuiſſe. Septemviros & Ordines Imperii eſſe quidem Cæſareæ Maieſtatis, ſed ſimul quòq; Imperii Electores & Ordines, adeóq; huius columnas & fulcra. Vnde minimè ambigendum, quin rei iſtius cognitio ad eos ſpectat. Cæſarem nullum feudum vel oppidum Imperio apertum ulli conferre & concedere inconſultis Electoribus; quantò magis neceſſarium fuiſſe, eorum conſilium & conſenſum eâ in re, quæ de transferendâ Electoriâ dignitate, déque tam nobilibus Imperii feudis & regalibus quæſtionem moveret, advocare. Ex hoc ſanè proceſſu cæteris Electoribus, Principibus, & Ordinibus maximum & irreparabile præiudicium accerſi; ſi nempe inauditi, Electoribus inconſultis, ſuis dignitatibus & bonis, filii verò &

proxi-

Digitized by Google

proximiores agnati iure ſimultaneæ inveſtituræ ſine cauſæ cognitione privari & ſpoliari, omniáque iſta in alios pro arbitrio transferri poſſent. Iſthoc enim modo Electorē, aut ſtatum Imperii deterioris longè conditionis fore, quàm aliquem in regno Poloniæ nobilem communem, quoniam talis niſi in plenis comitiis proſcribi non poſsit. Exiſtimationem & prærogativam illam, quâ Electores hactenus intra & extra Imperium conſpicui fuerint, & eminuerint, eouſque evileſcituram, ut illi, qui in eorum præſentiâ capita ſua operiri non auderent, dubitaturi deinceps ſint, an detegere coram ipſis debeant. Si Electores conſuli & cognoſcere non debeant, quando aliquis Elector proſcribendus, & Senatu Electorali movendus, & alius in eius locum recipiendus ſit, ſe haud equidem

dem intelligere poſſe, in quo, Electorum prærogativa & autoritas conſiſtat; quæve inter Illos & alios minores Imperii Proceres differentia, ſi nomen excipias, eſſe queat, nec quo tandem pacto Ipsis de periculo & præiudicio, quod ad eos ex hoc procedendi modo redundat, cautum ſit. Proſcriptionem huiuſdem, executionem & ſubſecutam Electoratûs tranſlationem inconſultis & præteritis Electoribus decretam & peractam fuiſſe, quod ſanè fieri minimè debuiſſet; Electores & Principes haud deterioris, quoad condemnationem & pœnam, conditionis eſſe debere, quàm homines è plebe, contra quos inauditos & non citatos, nunquam proceditur, aut condemnatio pronunciatur, etiamſi crimina ſint, vel maximè notoria.

Atque

Digitized by Google

Atque hæc, quæ collectim tamen, ſumma rerum faſtigia ſaltuatim ſecuti attigimus, & primoribus labris delibavimus, ambo illi celſiſsimæ & ſpectatiſsimæ autoritatis & exiſtimationis Electores, qui de propriâ ſcientiâ teſtati ſunt, in publicis ſcriptis & literis, in graviſsimis in Senatu prolatis ſententiis, per legationes ampliſsimas, perſæpè & pluſquam ſatis ſcripſerunt, declarârunt & deduxerunt: Et vel ex illis ita compendio relatis apparet, quo veritatis & fidei fundamento ea, quæ ſupra ex Auctore de Septemviratu in Ducem Bavariæ optimo jure tranſlato adduximus, nitantur, quidque de tranſlatione Electoratûs clam abſque ſolemnitatibus requiſitis, & ſine legitimo Electorum congregatorum concilio factâ, judicandum ſit. Sed de hoc argumento alibi commodior di-

cendi locus erit. Iam ſuffecerit ex deductis inferre, quod meritò omnes iſtas diſpoſitiones, decreta, pacta, ſententias, actiones & executiones ipſo jure nullas, irritas, caſſas, injuſtas, iniquas, nullius ponderis, valoris aut effectûs eſſe, lex & juſtitia pronuntient. L. ſi expreſſè 19. D. de Appellationib. & relationib. ubi dicitur, *Non jure proferri ſententiam, ſi ſpecialiter contra Leges, vel Senatusconſultum, vel conſtitutionem fuerit prolata. Unde ſi quis ab hâc ſententiâ appellaverit, & præſcriptione ſummotus ſit, minimè confirmari ex hac præſcriptione ſententiam.* C. 18. de regal. in 6. l. ex ſtipulatione l. prolatam à Præſide, c. de ſentent. & interlocut. Novell. 113.

Deinde & hoc notandum, quod privatorum conventiones & pactiones non poſſint derogare Iuri publico, legibus & Conſtitutionibus Reipublicæ. l. nec ex prætorio, nec ex ſolemni jure privatorum

Digitized by Google

conventione quicquam immutandum eſt. 27. & l. neque pignus. §. privatorum conventio juri publico non derogat. ff. de regulis juris. l. juris gentium. 7. §. 16. ibi. pactum à jure communi remotum ſervari non oportet. & l. contra juris civilis regulas pacta conventa rata non habentur. 28. & l. jus publicum privatorum pactis mutari non poteſt. 8. D. de Adminiſtr. rerum ad Civitat. l. nemo poteſt. 55. D. de legat. 1. *l.* pacta quæ contra leges conſtitutionéſque vel contra bonos mores fiunt, nullam vim habere, indubitati juris eſt. 6. c. de pactis. *Imò nullum reſcriptum Cæſaris, nulla pragmatica ſanctio, nulla ſacra annotatio, quæ generali juri adverſa eſſe videntur, valida ſunt & in diſceptationem proferri poſſunt.* Ita Imperator Anaſtaſius ſanxit. l. ultimâ. c. ſi contra jus vel publicam utilitatem. Præterea, diſpoſitiones illæ contra datam fidem & cautionem, in fraudem eorum, quibus ea data fuit, pactę fuerunt; ſicut ſupra dictum, ubi demonſtratum, Cæſarem & Bavarum ſanctè & ſæpius promiſiſſe & caviſse, Electoralem dignitatem ſoli Maximiliano, & quidem non diutius, quàm is in vivis foret, collatam:

Digitized by Google

poſt eus mortem Liberos & Agnatos Friderici Regis iterũ admittendos. Inſuper illi quorum intererat & qui læſi ſunt, non fuerunt vocati & adpellati, ſicut audivimus: In actis enim præjudiciabilibus debent citari omnes, quorum intereſt. l. nam ita Divus Marcus. 39. ibi. adhibitis etiam his qui contradicent, id eſt, qui læderentur confirmatione. D. de adoption. ubi Gothofred. *ſemper citandus eſt is, qui lædi poteſt:* l. de unoquoq, negotio præſentib. omnibus, quos cauſa contigit, judicari oportet. 47. D. de re judicat. l. etiam ſi Patre 29. §. ſi hæreditate Patris. 2. ibi. non evocatis creditoribus minimè id præjudicaſſe. D. de minoribus. Ioachimus à Beuſt, in l. admonendi. n. 796. D. de jure-jurando. Contra abſentes verò quicquid ſtatuitur, decernitur, agitur & initur, nullum eſt. l. ſi ut proponis. 5. ibi. quod ita geſtum eſt adverſus te abſentem, ad effectum juris ſpectare minimè oportet, & l. ea quæ ſtatuuntur adverſus abſentes. C. quomodo & quando Iudex ſenſerit. Symmachus in epiſtola: *Quando,* inquit, *abſentibus atque ignorantibus inter alios geſta nocuerunt?* l. 1. ibi. in-

ter

Digitized by Google

ter alios res geſtas aliis non poſſe præjudicium facere ſæpè conſtitutum eſt. & l. ibi. inter alios factam tranſactionem abſenti non poſſe facere præjudicium, notiſſimi juris eſt. & ibi. Neque enim ſi te abſente diviſionem fecerunt, aliquid juri tuo derogari potuit. c. Inter alios acta, aliis non nocere. argt l. tranſactio matris. 26. c. de tranſact. & l. Impp. 3. ibi. Privatis pactionibus non dubium eſt non lædi jus cæterorum. D. eodem.

Denique, contra minorennes, indefenſos, inauditos, pupillos & quibus jam jus quæſitum erat, iſta omnia acta ſunt. Cùm enim conventiones iſtæ inter Bavarum & Cæſarem fierent, & Pragenſes pactiones conſarcinarentur, Carolus Ludovicus adhuc ſub tutelâ erat, ſicuti etiamnũ ſunt cæteri ejus fratres. Ille ſolus octodecim annos, in Aureâ Bullâ Electorum filiis pro majorennitate definitos, complevit. At non debet, inquiunt Imperatores, nocere adultis, quicquid eo tempore ſtatutum eſt, quo defenſione juſtâ & Curatoris auxilio fuerant deſtituti. l. acta apud ſe 45. §.

 contra

contra indefenſos minores nulla ſententia proferenda eſt. 3. & l. contra pupillum indefenſum vel minorem xxv annis, propoſitum peremtorium nihil momenti habet. 54. D. de re judicata. Iure quæſito, nemo privari poteſt, ne quidem ab Imperatore utente totâ Majeſtate ſuâ, ut loquuntur Iuris Conſulti. Detrahere aliquid alteri, magis eſt contra naturam, quàm mors, quàm dolor, quàm paupertas, quàm cætera, quæ poſſunt aut corpori accidere, aut rebus externis. Cicero. lib. 3. Officior.

Quod autem confirmationem & comprobationem iſtarum Diſpoſitionum attinet, ſciendum: Primò, quod nullum eſt & contra bonos mores, leges & jura pactum, non poſſe confirmari, neque ratum haberi vel adprobari. per jura vulgata, & ſupra citat. ll. Deinde, comprobatio illa Ordinum, de quâ tamen, an intervenerit, non conſtat, legitima & valida nequaquam eſt; quia Ordines

Ordines non interfuërunt, nec convocati & adunati fuërunt, ut cauſâ cognitá aſſenſum ſuum darent: ſi qui dederunt ſeparatim & ſinguli conſenſerunt & Cæſaris diſpoſitiones comprobarunt: quod fieri de jure non debet. l. item ſi unus. 17. §. item ſi plures. 2. & l. non diſtinguemus. 32. §. cum in plures ibi. non debet ſingulos ſeparatim cogere. D. de Receptis qui arbitrium. c. cum omnes. Extra. de conſtit. Hieronymi à Cævallis in ſpecul. commun. opinion. quæſt. 476. Antonius Faber in Cod. deciſion. forens. libr. 1. tit. 3. definit. 42. ubi docet, non reputari univerſitatis nomine actum, quod agunt particulares, etiamſi omnes agant, niſi eâ congregatâ. & Flamin. de Rubeis conſil. 69. n. 220, lib. 1. actum nullum eſſe, ait, etiamſi omnes conſenſerint, quando ſeparatim & particulares non legitimè congregati conſenſerunt. Ad hæc, plęrique Ordinum, pręſertim Proteſtantes, qui in pactiones Pragenſes conſenſerunt, coacti & impulſi fuerunt metu, minis,

armis,

armis & decretis atque mandatis peremptoriis; ut eas comprobarent & amplecterentur, ni facerent hoſtes judicarentur, ſicut in ipſis Tabulis ſancitum eſt. Quid autem de tali conſenſu & voluntate judicandum ſit, jura docent, vide l. velle non creditur. D. de regulis juris, & ibi Decium & Dd. l. 1. ibi. neceſſitas impoſita contraria voluntati. D. quod metûs causâ. Cujac. obſer. ult. ib. Quę verò metûs causâ extorta & facta ſunt, ea nulla reputantur & rata haberi nequeunt. d. toto titul. D. quod metûs causâ l. ſi donationis 7. & l. ult. c. de his quæ vi metûſve causâ geſta ſunt, ibi. ratum haberi non patietur, & quæ per potentiam extorta ſunt, præcipimus infirmari. Bartolus in l. 1. §. quæ veneranda in fin. D. quarum rerum actio non datur, & de exceptione jurisjurandi.

Denique non ſtatim dicendum & concludendum, omnes eos, qui tabulis Pragenſibus ſeſe accommodarunt, univerſos ac ſingulos articulos eo ſenſu, quo ibi referuntur, nominatim verò

iſtas

Digitized by Google

iſtas diſpoſitiones de Electoratu Palatinatûs, quorum mentio ibi fit, & quas ipſi nunquam viderunt, comprobâſſe & ratas habuiſſe. Nonnulli certè inter quos eſt Elector Brandenburgicus, cum expreſsâ reſervatione & exceptione vel generali, ſalvo uniuſcujuſque jure, vel ſpeciali, quod idem Elector hâc in causâ Palatinâ fecit, conſensêrunt. Cæteri ſub tacitâ iſtâ conditione conſenſiſſe intelliguntur. Nam clauſulâ, ſalvo jure tertii, etiam omiſſâ, ſemper tamen ineſſe intelligitur. d. l. ult. c. ſi contra jus vel utilitat. public. c. Si quando § ultimo. x. de Reſcriptis c. ſuper eo. x de crim. falſ. Nemo enim eorum tàm injuſtus & iniquus videri volet; ut rem injuſtam & nullam ſcienter ſuâ adſtipulatione adprobatam, & eum, quem innocentem eſſe cuique injuriam fieri perſuaſus aut edoctus ſit, jure ſuo cupiat

privatum. Nec ſufficit dicere confirmatas eſſe diſpoſitiones iſtas ab Ordinibus Imperii, niſi demonſtretur confirmationem factam eſſe cum cauſæ cognitione. *Hæc enim neceſſaria eſt,* ut inquit Nicolaus Burgundus in lib. ſuo de Electoratu Bavarico, quem ad defenſionem Chriſtophori Gewoldi ſcripſit, fol. 284. *ut quis detrudi poßit de ſuâ poſſeßione. Quin imò non ſufficit ſtrictim atque curſim, & ut ita dicam de plano interpoſitam: Plena & ſufficiens exigitur,* allegat. Iaſon. ad l. judices n. 2. & 3. C. de judic. Decius ad l. non videtur § qui juſſu. D. de reg. juris. *Hæc autem non præſumitur, ſed probanda eſt legitimis teſtibus, vel conſtare debet ex actis,* ut idem Burgundus de loco ait, adducens. Panor. ad c. 2. n. 8. & 22. de ſequeſtr. poſſeſſ. Alciat. de præſumt. 67. n. 12. 13. & præſumt. 75. n. 22. 1. l. judices 9. c. de judiciis deſumta ex Codice Theodoſiano lib. 2. cap. 18. ibi imprimis rei qualitatem plenâ inquiſitione diſcutere. c. judicantem 31 quæſt. 8. Cæteras nullitates & injuſtitiæ ac violentiæ actus, in transferendo Electoratu & in condendis diſpoſitionibus

&

Digitized by Google

& pactionibus Pragenſibus commiſſos, perſequi & in lucem promere ſuperſedemus.

Pauca ſaltem hic imitabor, & ad propoſitum hocce facientia, ex eodem Nicolao Burgundo Iuriſconſulto, Conſiliario Bavarico & Profeſſore in Academiâ Ingolſtadianâ, qui librum de Septemviratu Bavarico ſeu Apologiam Chriſtophori Gewoldi, ſicut ante citavimus, conſcripſit; excerpta adſcribam. Quod enim illi de Aureâ Bullâ, de Caroli IV. diſpoſitione, quâ declaratur & ordinatur, Electoratum Comitatui Palatino Rhenenſi annexum eſſe, eúmque ſolis Palatinis, non Bavaris competere, dicere & judicare licuit; id meliori nobis jure & majori cum veritate, de diſpoſitionibus iſtis clandeſtinis, novis & anormibus Ferdinandi II. déque Pragenſi conven-

Digitized by Google

tione ſtatuere & profari licebit.

Vin' inquit ille fol. 78. *ſententiam eſſe? hoc dici non poteſt, ubi nihil ordine, nihil legitimè factum eſt. Nonne judicium conſtitutum, nonne litem conteſtatam oportuit, priuſquam ferretur ſententia? Nullum hic fuit judicium, omnino lis nulla fuit. Judicium incipit à citatione; ſi adverſarius non vocetur, non eſt judicium: Ubi non fuit judicium, ibi non eſt ſententia. Quis* Carolum Ludovicum & ejus Fratres *in jus vocavit? præſentes non fuiſſe conſtat. Sententia* fol. 79. *igitur illa prorſus eſt nulla; quia lata eſt nec citatis, nec auditis adverſariis.* l. 2. & ibid. Bald. c. ſi per vim, vel alio modo l. 1. § item cum ex edicto. D. de ſententiâ, quæ ſine appellation. reſcind. *Et conſequenter per ejuſmodi ſententiam jure ſuo nemo privari poteſt.* c. 1. de feud. ſine culpâ non admittend. Anchor. conſil. 53. volum. 1. *Fortè*, inquies, *Imperatori integrum*

fuiſſe

fuiſſe ex officio in veritatem inquirere. Solet fieri in crimine, in re privatâ & familiari non ſolet. Ex ea tamen quæſtione damnare Palatinos *non poterat, ſine legitima citatione: quippe inauditâ parte non eſt credendum alieno teſtimonio.* Elem. Paſtoral. de re judicat. Roman. conſil. 245. *Multa ſanè exiguntur, ut damnari abſens, & de poſſeſſione ſua dejici poßit. Vocandus eſt imprimis in jus, circumducendum eſt edictum, & reddendus contumax. Aliàs legibus & moribus Majorúmque inſtitutis non rectè pervenitur ad ſententiam, tametſi Imperator ipſe judicet.* d. Elem. Paſtoral. Abbas ad c. 1. de cauſ. propriet. & poſſeſſ. Baldus ad l. ultim. de legib. *Si tu,* fol. 83. *privilegium dixeris, ſcias licèt, Imperatorem cum tota ſua Majeſtate jus ſuum alteri per privilegium auferre non poſſe ſine juſtâ & publicâ cauſâ. Quæ fuit,* fol. 85. *juſta cauſa, ut Electoratus avelleretur à* Palatinis*?*

Nulla. Quæ ſuit cauſa publica? Nulla. Totum hoc negotium Bavarorum *commodum privatim reſpexit. Omnis hæc ſcena in utilitatem eorum compoſita & inſtructa fuit. Quid ergò reſtat, niſi ut hoc privilegium dicamus nullum quod vergit in* Palatinorum *injuriam, quod contra legis præſcriptum jus ſuum* Palatinis *eripit, quod de poſſeßione ſuâ* Palatinos *deturbat? Atqui, inquies,* fol. 94. Imperator & Electores Ordineſque Imperii confirmârunt. *Concedo interim. Quid tamen facit confirmatio? Si peritis juris credimus, nihil novi juris confert, ſed quod datum eſt tantummodò, corroborat.* Molinæus ad conſuet. Pariſi. titulo. 1. §. 8. gloſſ. 1. n. 88. *tacitámque in ſe continet conditionem, ſi res ita ſe habeat,* Molin. loco citat. Rebuff. tractat. de decimv. quæſt. 13. n. 90, 91. *At verò diplôma veſtrum eſt nullum. Vana eſt igitur & inanis confirmatio. Nam*

ubi

ubi quod confirmatur nullum eſt, ibi quoque confirmatio nulla eſt. Quod enim eſt nullum, perinde habetur ac ſi factum non eſſet, l. 1. § hæc autem D. quod quiſque jus in alter. ſtat. *Quod autem non eſt, confirmari non poteſt.* Hæc verbis Burgundi, niſi quod pro Bavaris nomen Palatinorum poſitum ſit.

Si verò Bavaris licet & fas eſt, Caroli IV. Imperatoris de Electoratûs Palatini adjudicatione, diſpoſitionem & Auream Bullam confirmatam ab univerſis Imperii Ordinibus, & per tot annos & tria ſæcula inconcuſsè obſervatam, impugnare, & dicere eâ in parte nullam, & per ſub. & obreptionem, & per calliditatem extortam, & ab Imperatore odio in Bavaros, ut eos ſub juris ſpecie opprimeret, & nimio favore in Palatinos, conditam. Cur non liceret nunc Palatinis, diſpoſitionem iſtam Ferdinandi

de-

Digitized by Google

de Electoratu Bavaris conceſſo & tabulas Pragenſes, illam confirmantes & comprobantes, ex eodem fundamento & jure refellere, nullas dicere, & odio in Palatinos, quorum oppreſsionem ſub colore & prætextu juris Cæſar & Bavarus, ut ſuis ſuorúmque commodis eò meliùs proſpicerent, accelerare ſatagebant, confectas & conſarcinatas.

Ait præterea Burgundus de Carolo Imperatore, fol. 63. *eum Palatinis ad omnia obnoxium, infeſtiorem Bavaris fuiſſe, ac propterea illis Electoratum dediſſe & adjudicaſſe, excluſis his. Ecquid mirum? Quippe cum Ruperto Palatino in Bavarorum exitium, armorum ſocietatem contraxerat.* Henricus Rebdorff. in annal. *totámque Bavariam miſerabiliter vaſtavit. Cùm igitur affectui ſuo morem gereret, cùm animo ſuo volupe*

lupe facere vellet, flagrantiſsimo Bavarorum odio ſpumans, cauſam genio ſuo conſonam avidiſsimè arripuit, quâ ultionem exigeret ab inimicis, atque infra Majorum ſuorum dignitatem ſaucios deprimeret. Et mox, His in eum modum fol. 72. compoſitis, cùm præoccupati eſſent Electorum animi, cùm flagrantiſsimâ gratiâ floreret Rupertus Palatinus Comes, cùm ancipiti belli periculo Bavari implicarentur; breviter cùm omnia in eo ſtatu eſſent, ut nihil Bavaris ad invidiam, nihil Palatino ad favorem deeſſe videretur: Rupertus Palatinus Comes Anno MCCCLVI in Norinbergenſibus Comitiis diplôma quoddam elicuit, quo Electores Principes Dapiferatum & Electoratum Comitatui Rhenenſi annexum, aſſeverant. Nihil ſanè faciliùs fuit, quàm id impetrare. Habebat enim Imperatorem in

Digitized by Google

partibus, Imperator verò in ſuam ſententiam Electores traxerat. Reſcripſerunt enim omnes ſecundum formulam à Carolo preſcriptam. Conſenſum jam erat à ſingulis, quod inter omnes quæri debuerat. fol. 232. *Meliùs ſileres de Carolo IV cum Bulla ſua. Scimus, ſcimus quid voluerit & nos hoc ſcire jam ſciunt omnes. Iræ ſuæ litare ſtuduit. Contra jus, contra fas, contra leges & conſuëtudines ac Majorum mores conatus eſt Electoratum deferre Palatinis, quos flagrantiſſimè amabat, ut Bavaris eriperet, quos hoſtiliter oderat. Hoc eſt quod voluit, hoc reſpexit & collimavit; quomodo eò perveniret, omnia in unum concilia contulit. Dic,* fol. 298. *quicquid potes & quantum potes, & quàm eloquenter & magnificè potes, noſtra tamen hæc eſt Gemma, quam Otto III Bavariæ inſervit. Ex illo*

in

in poſſeßionem venimus, ex illo incumbimus. Fruſtrà laboravit Carolus IV indè eximere, Quicquid fecit, efficere non potuit. Stabat ſecura & immota ſupra culmen poteſtatis. Eoúſque ſuprema potentia manus porrigere non poterat. Nihil legitimè, nihil ſolemniter, nihil ordine factum eſt. Non fuit illud judicium, vis fuit. Summa cum injuria Bavaros ejecit, ut nullo jure Palatinos induceret. Flagitioſum eſt veſtrum initium, injuſtus progreſſus, tota denique vitioſa poſſeßio. Hæc ille.

Iam repone, ſicut in prioribus factum, pro Bavaris & Bavariâ, *Palatinos & Palatinatum*, & pro *Ruperto*, Maximilianum Bavariæ Ducem; pro *Carolo*, Ferdinandum; pro *Aurea Bulla*, diſpoſitiones de Electoratu & pacem Pragenſem; pro *Norimburgenſibus*, Ratisbonenſes; dices eandem

 fabulam

ſabulam hodie mutatis perſonis verè luſam, quæ olim luſa fuiſſe fingitur à Burgundo, artifici commento; à Chriſtophoro Gewoldo primùm in ſcenam producta. Hi cauſæ Bavar... præcipui Patroni primi extiterunt, qui ſacroſanctam & inviolabilem per tot ætates Aureæ Bullæ auctoritatem in dubium vocare, impugnare, & falſitatis atque nullitatis arguere auſi ſunt. Verùm ſi privatis hominibus leges fundamentales, in quibus ſalus & concordia imperii conſiſtit, ſi ſacratiſsimas ſanctiones, ſi ſapientiſsima Majorum inſtituta, ſi jugem per tot ſæcula obſervatam conſuetudinem, & ab omnibus Imperatoribus & Electoribus ἐκ διαδοχῆς comprobatam, confirmatam & impreſsis veſtigiis ſignatam, convellere, infirmare & eludere licet: quænam firmandi ſtatus, non dicam

dicam fiducia, ſed ſpes reliqua, quid ſanctum, quid tutum & juſtum in communi hominum ſocietate, in ſucceſsionibus & poſſeſsionibus bonorum, dignitatum & officiorum eſſe poteſt? Quæ impugnationem iſtam aureæ bullæ & Electoratûs Palatinici uſurpationem ſecuta ſint, lamentabilis experientia teſtatur: uno verbo bellum internecinum, cædes horrendæ, diræ proſcriptiones, & Imperii totius miſeranda diſtractio: adeò ut hæc Electoriæ dignitatis præreptio potiſsima & præcipua cauſa ϗ τὸ αἴτιον ſit, continuati & redintegrati hujus funeſtiſsimi belli. Quod Sereniſſimi Electores Saxoniæ & Brandeburgii ſtatim ab initio prævideruntt & prædixerunt: *Se* inquiebant, *tranſlationem Electoratus nequaquam pro medio ſiſtendi belli, ſed potius pro materia, quæ majores animorum*

exulcerationes, ſciſsionem & diviſionem inter Ordines imò univerſi Imperii πανωλεθρίαν *ſive interitum & deſolationem ſit productura & concitatura: quocirca reſtitutionem Comitis Palatini vel ideo neceſſariam judicare, ut ſecura & fida pax conſtabiliri queat: per rigorem ſaluti Reipublicæ minimè conſuli, ſed eam in diſcrimen potius & perpetuum bellum implicari. Deinde ob hanc etiam cauſam ſe tranſlationem Electoratus pro fomite turbarum & armorum æſtimare, quia liberi Palatini Comitis propter cognitam innocentiam, à reſtitutione dignitatis & ditionum excludi nullo modo poſsint: præſertim illi, qui ante prætenſum patris crimen, jus acquiſitum in Palatinatu electorali Majorum providentia & pacto conſecuti & adepti ſint. Ad hæc agnatos proximiores, quibus æquè ex ſimultanea inveſti-*

tura

tura jus quæſitum ſit, injuriâ affici, & jure ſuo privari. Iidem illi Sereniſsimi Principes plus ſemel, deinde publicè conqueſti fuerunt, quod *optima & pacifica ipſorum conſilia non fuerint auſcultata, ſed ea media apprehenſa, quæ revera cauſæ exſtiterint majorum motuum, inimicitiarum & turbarum: experientiam enim manifeſtaſſe res poſt tranſlationem Electoratus in pejus lapſas, quia ea quæ ipſi tanquam ſemina diſcordiarum tàm fortiter diſſuaſerint, nihilominus prælata; & cùm magna animi contentione executioni data fuerint.* Præterea non ſolùm ambo illi Electores per Oratores ſuos, ſed etiam cæteri eorum Collegæ, & alii Principes, qui Ratisbonæ Anno MDCXXIII quando Cæſar in procinctu erat conferendi Bavaro electoriam dignitatem præſentes fuerant, unanimi

conſenſu

Digitized by Google

conſenſu publico in ſcripto teſtati ſunt, Fridericum Regem facem et architectum turbarum in Imperio minimè extitiſſe, dum his verbis, *Comitem Palatinum*, aiebant, *Principem eſſe juvenem, qui ab aliis ſeductus ſibi ipſe conſulere neſciret : ad hæc auctorem & inceptorem motuum Bohemicorum non fuiſſe: hos diu antequam is interveniſſet, initium & progreſſum habuiſſe.*

Singulari autem admiratione & conqueſtione, ne dicam reprehenſione & increpatione dignum eſt, quod Imperator & Electores à tot annis & in diverſis conventibus, & in hiſce duobus ultimis Ratisbonæ, Anno M DC XXX & XXXVI celebratis, poſtulata Regis Magnæ Britanniæ auſcultare, & reſtitutione Palatinatûs æquis cum conditionibus conceſsâ & decretâ, pacem Imperio

&

& Patrię ſuę, civilibus diſcordiis armiſque perculſæ, reddere neglexerint! Quomodo id apud Deum, apud homines præſentis & futuræ ætatis excuſare poterunt? Nonne cauſas ſatis graves & urgentes habuerunt, quibus moveri debuiſſent, ut quietem bello, conſopitis motibus præferrent, & uno aut altero ad priſtinum fortunæ ſtatum repoſito, toti Imperio & ſibi ipſis tranquillitatem, ſalutem, ſecuritatem & honorem pararent? Nonne communia Reipublicæ Chriſtianæ tum inſtantia, tum impendentia mala eos excitare & impellere? Nonne Patrię miſerandum in modum devaſtatę & deſolatæ, voces & quaſi lacrymæ ad intimam commiſerationem permovere & ſtimulare debuiſſent? Tot annorum eventibus & documentis didiciſſe poterant, Reipublicæ ſalutem, incolumitatem, libertatem, de-

Digitized by Google

cus & otium in iſtâ reſtitutione, & amniſtiæ ſanctione contineri: per expulſionem verò & oppreſsionem Illuſtriſsimæ Domûs Electoralis Palatinæ, bellum hoc lacrymabile non modò non attenuatum & imminutum fuiſſe; ſed magis etiam exarſiſſe & recruduiſſe, adeò ut incendio ſuo totam Germaniam peruſſerit, vicinóſque populos & gentes attigerit. Quis fructus continuationem belli conſecutus fuerit, quid utilitatis, honoris, & potentiæ ad Rempublicam pervenerit, quid ipſi etiam victores ex victoriis ſuis commodi perceperint, in confeſſo & propatulo eſt. Nihil nempe ſecuriores factos fuiſſe, plus damni & perturbationis, plus ignominiæ & odii, quàm emolumenti, potentiæ & laudis acquiſiviſſe. Nec dubitandum quin majora adhuc mala et incommoda ſequantur, ſi diſ-

cordias

Digitized by Google

cordias et bella hæc indomita pauló diutiùs vigere permiſerint. Non enim veriſimile eſt eos Principes qui fortunis ſuis exuti, in exilium depulſi, & ad deſperationem redacti ſunt, quieturos unquam, quamdiu aliquid ſpei & auxilii aliundè ſperare poſsint; imò extrema conaturos, cœlum & tartara, ut eſt in proverbio, emoturos, omnia denique *more anguium, qui obtrito capite, poſtremùm caudâ minantur*, experturos, ut in patriam redire, & amiſſa recuperare valeant. Quæ res ejuſmodi profectò erit, ut maximas periculociſsimáſque rerum converſiones allatura, perpetuum fomitem belli præbitura, Ordines Imperii continuo metu excruciatura & anxios redditura, tandem ultimum Reibuplicæ exitium & internecionem accelera- tura ſit.

Ad hæc exteri, qui vel Cæſareæ

Digitized by Google

Majeſtatis & Domûs Auſtriacæ, *cujus fundamenta in Germania poſita eſſe* cenſentur, potentiam & autoritatem convellere, vel ſub Imperii ruderibus aliquid emolumenti quærere, vel privatas injurias ulciſci, vel res novas moliri voluërunt, anſam ſemper & prætextum habituri ſunt, ut ſub ſpecie auxilii, ad quod pro reſtitutione extorrium amicorum & ſociorum ſe obligatos profitebuntur, res ſuas agant. Timendum quoque ne freti & permoti eâ occaſione Turcę, tandem etiam conſurgant, & Germaniam convulſam jam per ſe & debilitatam, ad quam quidem ſubjugandam maximè omnium mentem dudum atque animum adjecerunt, temporiſque opportunitatem obſervant, ipſi integri collectis viribus adoriantur.

His omnibus & innumeris aliis malis præveniri dudùm potuiſſet, ſi

ſublatis

Digitized by Google

ſublatis depoſitiſque privatis inimicitiis, odiis & factionibus, pax & concordia, priſtináque animorum inter Ordines conſenſio & confidentia reducta, & conſtabilita, atque publico communique conſenſu ſaluti et ſecuritati Reipublicæ conſultum et proſpectum fuiſſet. Quod factu ſanè haud difficile futurum fuiſſet, modò ea conſilia et remedia, quæ ad rem faciebant, et in promptu erant, ocyùs apprehenſa et adhibita fuiſſent: quorum hæc duo ſola omnium convenientiſſima & efficaciſſima cenſebantur. Primò videlicet, ſi promiſcua & univerſalis præteritorum oblivio ſancita: Deinde, ſi unuſquiſque qui per arma & iniquitatem temporum fortunis & honoribus dejectus fuerat, integrè & in eum ſtatum, quem obtinuerant, antequam hi motus orirentur, reſtitutus fuiſſet, nemine præterito, aut ex pace

Digitized by Google

& amniſtiâ excluſo. Illud enim certiſsimum eſt, firmam quidem in Germaniâ concordiæ rationem poſſe nullam inveniri, nullam eſſe pacem, nulla fœdera diutiùs permanſura, quæ non eorum omnium, quorum intereſt, conſenſu voluntatéque & cum reſtitutione & ſatisfactione expulſorum ſanciatur. Cæteræ, ſi quæ reſtabant conditiones paciſcendæ & adjiciendæ, nihil prorſus difficultatis & exceptionis habuiſſent. Nam & exteri proculdubiô, qui ſe huic bello immiſcuerunt, ſicut iſto modo omnis ipſis prætextus, continuandi belli præreptus fuiſſet: ita haud gravatim ab armis abſtinuiſſent, & pacem iniiſſent.

Deinde, ex reſtitutione Palatinatûs, recepto in priſtinum dignitatis gradum Carolo Ludovico Electore, hoc bonum Imperator & Electores conſecuti fuiſſent, ut fundamentum

ſolidum

Digitized by Google

ſolidum & ſtabile, & illo Pragenſi ad pacem univerſalem conſtituendam longè firmius poſuiſſent, ſpe hoſtibus ſuis Rempublicam Germanicam et alias provincias ab armorum dominatu adhuc liberas, invadendi et proterendi præreptâ. Simul etiam cum Imperio Romano Germanico, tum ſibimet ipſis, ſociis et amicis populiſque ſecuritatem et quietem glorioſam et fructuoſam peperiſſent: pubem denique Teutonicam, ad ſtupendam & inauditam per tot ſtrages & miſerias paucitatem è tantâ populoſitate redactam, à fame, ſqualore, inediâ, ex anguſtiis & ærumnis quibus continenter tanquam lento igne conſumebatur & enecabatur, liberâſſent.

Ad hæc ſummo honori Imperatori & Electoribus fuiſſet, ſi Principes Palatinos tam alto loco natos, conſanguinitate primoribus Regum & Princi-

pum

Digitized by Google

pum in Europa familiis junctos, quorum progenitores tam bene de Imperio, cujus magnitudinis, ſplendoris, libertatis & incolumitatis defenſores & propugnatores conſtantiſsimi ſemper exſtiterunt, meriti fuerunt, pro quibus etiam tot Reges & Principes, quorum intererat ut reſtituerentur, intercedebant, qui denique Imperio ornamento & uſui futuri erant, in avitos honores & poſſeſsiones repoſuiſſent & collocaſſent.

Hoc nomine non ſolùm plurimùm ſibi eos devinxiſſent, & ad omne genus officiorum, ſtudiorum & benevolentiæ promtos gratóſque habuiſſent : Sed Sereniſsimum etiam Regem Magnæ Britanniæ, eouſque adduxiſſent, ut in teſtimonium grati ſui animi, ex ſingulari erga Rempublicam Germanicam benevolentiâ, ad pactiones cum Cæſareâ

Digitized by Google

Majeſtate & Ordinibus Imperii, tam pro conſtituendâ pace univerſali, poſito ad eam priùs per reſtitutionem Palatinatûs fundamento, quàm pro eâ contra omnes, qui impugnare præſumpſiſſent, defendendâ, ineundas conſenſiſſet. Quantum ex hâc Potentiſsimi Regis conjunctione & defenſione utilitatis, ſecuritatis & gloriæ Imperio acceſsiſſet, Imperator & Electores facilè judicare potuiſſent, ſi rerum ſuarum conditionem, & Patriæ Germaniæ ad incitos exitii gradus redactæ, tempora & pericula in conſideratione habere voluiſſent.

Hæc cùm ita ſint, mihi permittetis, O Viri Principes, Proceres & Cives ut antequam finiam, ad vos mea ſe nunc vertat oratio. Per ego Deum Vos Immortalem, per omnia Divina humanáque, per Majorum veſtrorum cineres, per Patriæ genium

obteſtor & obſecro, conſiderate, quo loco res veſtræ fuerint, & quo nunc ſint; quæ mala hactenus paſsi ſitis, quæque Vos adhuc circumſtent & immineant, ſi rebus veſtris promtè conſulere neglexeritis. Nonne animadvertetis veſtram libertatem, autoritatem, fortunam, dignitatem, decus per hæc bella civilia, exterorum dominationem affectantium auſpiciis conſilio & pecunia adminiſtrata & fota adeò concidiſſe, eámque ad extremitatem & ludibrium recidiſſe, ut verendum & veriſimile ſit, Vobis ad egeſtatem & ſervitutem redactis, ſub perpetuo jugo vivendum eſſe. Cui, niſi vobiſmet ipſis, culpam adſcribere & imputare poteſtis? Si ſtatim ab initio cauſam Friderici, per cujus latus vos petebamini, vel tutandam vel componendam ſeriò ſuſcepiſſetis; ſi naſcenti & ex incunabulis ſuis progredienti

Digitized by Google

gredienti potentiæ, cupiditate dominandi, & libertatem atq; Religionem exſtirpandi conatui, Vos conjunctis oppoſuiſſetis animis, conſiliis & viribus, longè meliore loco nunc res veſtræ eſſent, & laudem fortitudinis, conſtantiæ, & pietatis, præ ignominiâ, vituperio, ignaviâ, miſeriâ, quæ Vos jam concomitantur, conſecuti fuiſſetis. Verùm ſummo cum dedecore & turpitudine, non ſine proditionis & deſertionis crimine, alium poſt alium perire & devorari ſiviſtis, illorum caſum ad Vos minimè ſpectare rati. An neſciebatis ſemper illos, *quos ignavia, aut prava calliditas, uti alienis laboribus tuti eſſent, armis abſtinuit, acerbiſſimas pœnas ſolviſſe?* Rex Mithridates ad Regem Arſacem, apud Saluſtium lib. vi. Hiſtoriarum. Nihil veſtris hoſtibus gratiùs feciſtis, nihil illis adverſus vos utiliùs fuit, quàm *quòd in commune non conſulebatis,*

Digitized by Google

vires & arma non ſociebatis, immi-nenti promiſcuè omnibus periculo unanimi conſenſu non occurrebatis. *Itaque dum ſinguli pugnaviſtis, univerſi victi eſtis*, ex Tacito in vitâ Agricolæ. Vobis deinde imponi & verba dari, Vos promiſsis & largitionibus ſeduci, Vos diſjungi & ſeparari alius ab alio, Vos corrumpi & decipi falſo amicitiæ, vel favoris fuco, vel voluiſtis, vel paſsi eſtis. Nonne advertebatis eos, qui regnandi libidine, & ſtabiliendæ dominationis, & Religionis atque libertatis evertendæ causâ ad arma feruntur, *in more habère, ut hoc imprimis perſuadere ſoleant, non omnes à ſe peti, ſed aliquos, donec quos primùm aggreßi fuerant ſubjectis, gradatim ad alios tranſeant & ab aliis ad omnes*, Iacobus Zevecotius in obſervat. politicis ad Suetonii Tranquilli Iulium Cæſarem cap. 35. Hoc modo ab illis, qui veſtris opibus & viribus, quas ſibi propoſuerunt deſtruendas,

Digitized by Google

ſtruendas, bellum hactenus geſſerunt, quíque Vos ſingulos aggreſsi fuerunt decepti, & lenocinio ſimulatæ benevolentiæ & gratiæ dementati, Vóſque non peti arbitrati, & Vobis & Vicinis defuiſtis, his grave bellum, vobis exitium accerſendo. Acceſſerunt denique diſcordiæ, ſimultates, diſſidia, conſilia ſeparata, odia tam clandeſtinà, quàm aperta ex Religionis diverſitate & calumniatorum ſubdolâ informatione enata, orta & aucta, tum invidiæ, æmulationes, ſuperbia, præſidentia, falſa de viribus veſtris opinio, vana in externas ſuppetias ſine fundamento collocata ſpes & fiducia πλεονεξία, ſuperbia, diffidentia, prava abſtinendi ab auxilio ſociis ferendo calliditas, ingratitudo & fœderum pactorúmque violatio & eluſio, & id genus ſimilia, quæ inter vos regnabant & etiamnum regnant. At-

que hæc Germanicam Rempubli-cam, toto terrarum orbe florentiſſimam & potentiſsimam, in ſqualorem, ſolitudinem, & ad extremam miſeriam adduxerunt. Iam nimirum, ſed ſerò nimis, animadvertitis & deprehenditis quantæ vos circumſtent anguſtiæ, quibus laqueis & compedibus ſitis capti, quaſi labyrintho & carceri incluſi. An ignorare poteratis eos, qui liberæ genti jugum & ſervitutem imponere ſatagunt, comminiſci varios prætextus, & *fingere ſe quidvis potius agere, quàm quod agant, & tamdiu libertatis & veterum morum ſtudium præ ſe ferre, donec illorum recuperandorum ſpem omnem eripuerint, & præſidiis dominationis ſe abundè firmârint?* Iacobus Zevecotius in obſervat. Politicis ad Suetonii Tranquilli Iulium Cæſarem. cap. 79. in fine. Ignoſcite queſo, Viri Optimates, ſi me liberiùs & audaciùs locutum eſſe arbitramini:

Digitized by Google